





DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.

DE

LAUDEMIIS.

Quam

DEO TER-OPTIMO-MAXIMO
ASSISTENTE & PRÆSIDE

DECRETO & AUTORITATE
Magnifici, Nobilissimi, ac Amplissimi
Jctorum Ordinis, in illustri atq; per-
antiqua Rauracorum
Academia

Pro SUMMIS in UTROQUE JURE
Honoribus & Privilegiis ritè
consequendis

Publica disquisitioni & examini submittit

HERMANNUS STORRE
HILDESIENSIS-SAXO.

Ad diem 19 Aprilis; horis locoq; solitis.



BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Academ. Typogr. An. 1648.

1802. 9
729
1648

Storre de laudemis.





ILLUSTRISSIMO CELSIS-
SIMO QVE PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

ERNESTO AUGUSTO
DUCI BRUNSVICENSI ET
LUNÆBURGENSI ac EPISCOPA-
TUS MAGDEBURGENSIS
COADJUTORI

PRINCIPI ac DOMINO
suo clementissimo

Dissertationem hanc Inauguralem
humillimè dedicat & offert

Illustrissima ejusdem Celsitudinis

Cliens subjectissimus

HERMANNUS STORRE
Hildesienfis.



D. O. M. A.

THESIS I.



IUS omne, de quo dissertatio instituitur, bifariam potest dispesci, in *naturale* nimirum & *positivum*: Quorum illud in principio rerum à Deo ter optimo mentibus nostris insitum & tanquam commune practicum principium constitutum, omnibus nostris actionibus normam & regulam præscribit, Hoc verò postea, vel à Deo ipso, unde *divinum*, vel ab hominibus unde *humanum* dicitur, est sancitum, Divinū est, vel ceremoniale, vel forense, vel morale: Horum primum tanquam mysticum ferè ab usu nostro recessit, forense in multis etiamnum est receptum, morale verò nos omnes, quotquot sumus Christianos, obligat. Humanum vel est *gentium* inter omnes gentes cultas præsertim, ex probabili ratione introductum, vel *civile* à summa in Republica potestate promulgatum, idque vel *scriptum* sive una & expressa sanctione sancitum, vel *consuetudinarium*, longo usu vel tacito majestatis consensu receptum, utrumque vel publicum ad statum Reipubl. pertinens, vel privatam singulos quosque concernens. Secundum horum jurium rationes, omnes nostras humanas actiones esse mensurandas & dirigendas, sique in iis controversia oriatur, in foro esse decidendas, nemo est, qui inficias ire possit.

I I. Ex hoc latifundio jam publico examini materiam propositurus, non abs re esse duxi, talem potissimum seligere,

A

quam usus & frequentia commendaret, quod cum de laudemis verum arbitraret, eorum naturam ex suis principiis explicare animum induxi.

III. Veruntamen non mihi jam animus est, omnes de illis diversas in diversis provinciis consuetudines recensere, cum illud vires meas excedat, sed illud saltem attingere satagam, quod secundum jus civile ad nostros usus recessit, idque tamen ita, ut si forsan in quibusdam locis usu diversum receptum esse invenerim, non omnino negligam. Quod me tum rectius facturum existimo, si constitutionem Justiniani *l. ultim. C. de jur. emphyt.* tanquam cynosuram, & normam omnino sequar, secundum quam etiam ipsas consuetudines dirigi & explicari, Doctores communiter agnoscunt. Quemadmodum videre licet apud Dominum Georgium Frantzium, *tr. de laudem. c. 5. n. 14. & Wes. conf. 16. n. 8.*

IV. Quæ omnia tamen angustis finibus inclusa, quantum pro ingenii modulo fieri poterit, ordine exponam, operamque dabo, ea saltem in medium afferre, quæ vel ad explicationem vel probationem conducere arbitrabor. Quod ut eo melius expediam, à generalibus ad specialia progrediar, & quælibet suis classibus collocabo.

Generalia. V. Generalia laudemiorum partim ad nomen spectant, qualia sunt, Etymologia, Homonymia & Synonymia, partim ad rem ipsam, ut Definitio & divisio. De singulis ordine agendum est.

Etymologia. VI. Etymologiam quod attinet, derivatur laudemium à laudando, estque vocabulum barbarum, sed usu tamen receptum, *laudare* autem dupliciter fere accipitur. Et [1.] quidem in prisca significatione idem est ac nominare; ita Plaut. *in Captiv. a. 2. sc. 3.* & Pomponius *in l. 6. §. 5. ff. de act. emt. in l. Herennius. 63. §. 1. ff. de evict. l. autor. 7. C. eodem*, estque nihil aliud, quam dicere titulum suæ possessionis, & autorem, unde quis causam habet, nominare. Quomodo etiam adhuc hodie apud pragmaticos in usu est, ita tamen ut differat, à nominatione auctoris in specie sic dicta, quæ fit ab eo, qui alieno nomine possidet, vid. Emer. à Rosb. *in prax. civ. tit. 48. §. 1. post. Marant. in spec. aur. p. 6. tit. de laud. & nomin. aut. Paul. Castrenf. in l. qui absentem. 75. ff. de procur.*

de procur. & defens. Hinc quidam, inter quos Coraf. *ad l. f. C. de jur. emph.* putant laudemium esse dictum, quasi inter paucos dies emtor domino à quo rem accipere & investiri velit, autorem suum, hoc est venditorem, nominare teneatur.

VII. Verum cum nos contrario potius jure utamur, ita ut non novus emphyteuta veterem, sed hic illum ad dominum deferre debeat juxta *l. ult. C. de jur. emph.* vix hanc derivationem subsistere posse existimo. Satius igitur erit *secundam* vocabuli hujus & genuinam significationem retinere, quàm nihil aliud quam approbare denotat, quo sensu laudemium inde deductum esse, non absq; ratione autumare licebit. Nimirum quod Dominus novū emphyteutam investiendo realiter laudet, i. e. approbet, indeq; quasi premium, certam pretii vel æstimationis partem laudemii nomine accipiat. Et ex hac significatione etiam *alodium* dictum quasi *alodium*, quod in illo laudatione Domini superioris sive directi opus non sit, putat Molin. *ad consuet. par. t. i. §. 68. n. 1.* Jung. *Matth. de afflict. in c. Imperialem §. illud quoq; de prob. feud. al. per Frid. n. 6.* Alciat. *l. 1. parerg. c. 45.* Wes. *conf. 16. n. 11.* Besold. *in th. pract. verb. Handlohn.* Plures vocis *laudare* significationes vid. apud Dn. Georg. Frantzk. *tr. de laudem. c. 1. n. 8. 9. & seqq.* quæ videntur, tamen ex jam dictis non adeo diversæ, sed potius ibi comprehendi posse arbitror, add. Cujac. *l. Feud. 17. & 20. & Gerard. Vofs. de vit. Serm. 1. 3. c. 18.*

VIII. Nunc ad Homonymiam sive æquivocationem: Accipitur laudemium dupliciter vel *proprie*, vel *improprie*. Hoc modo sive *improprie* dicitur solum illud, quod solet pendi præfectis pro conscriptione literarum investituræ, & appellatur aliàs *Schreibschilling* / *Schneid. in epit. feud. ibi: In hisce autem terris non est talis consuetudo, Allein daß man auß der Sankelen die Lehenbrieffe lösen muß vñ nicht dem Herrn sondern der Sankelen etliche gulden gibt so man auch pfleget Lehen-waar zu nennen / p. 5. n. 60. inf.* Sic etiam Petr. Frid. *Mind. d. l. 2. de mand. & mon. c. 67.* meminit, vasallos pro renovatione investituræ feudalis juxta quantitatem feudi aliquid inferre teneri, quod tamen de consuetudine fere est exiguum, *Als etliche Thaler zureddimung des Lehenbrieffs auß der Sankelen*, quod verò non *proprie* est laudemium, sed tantum honorarium quoddam, quod & antiqui-

Homonymia



tiquitus in feudis usitatum fuisse, conjectura est, vid. Paul-
Matth. Wehn. *observat. pr. lit. H. verb. Handlohn*. In quibus-
dam etiam inferioris Saxoniae pagis in usu est, ut nemo reci-
piatur, nisi certam aliquam pensionem Domino pagi, (qui
plerumq; Nobilis, vel Monasterii alicujus Abbas, vel Præposi-
tus, seu Capituli Archidiaconus) pendat, quod laudemium
Personæ sive den Ansaß appellant. Alio autem modo & *pro-*
prie, illud saltem laudemium est, quod Domino directo à no-
vo emphyteuta, pro alienationis approbatione reali & quali-
ficatâ per investituram, solvitur.

Synonymia.

IX. Vocaturque illud aliàs (ut ad Synonymiam venia-
mus) *Laudimium*, Perez in *expos. Cod. ad t. de jur. Emph. num. 8.*
Laudemia in *œm. gen. Wesemb. cons. 16. per tot.* *Laudativum*
seu *laudatitium*, Carpz. in *Jurisp. Rom. Sax. p. 2. c. 39. def. 11. n. 1.*
Vasallagium seu *Vaslatium* Frantzk. *d. tr. cap. 1. num. 19.* *Rele-*
vium sive *relevamentum*, vel quod relevet eum, cui præstatur, un-
de etiam *Ergekung* dicitur, Schneidw. in *epit. Feud. p. 5. num. 6.*
vel fortè quia hoc ipsum præstando relevet sive resumat feu-
dum quasi jacens, dum manu vacat. Rosenth. in *synops. feud. c. 6.*
concl. 66. num. 1. *Introitus* aliàs, quod pro ingressu solvatur, for-
san ad exemplum veterum militiarum, quibus feuda simillima
sunt, in quibus aliquid pro introitu solvi solebat, vid. *l. his verb.*
penultim. §. 2. ubi Gothofred. l. d. de leg. 3. Vocatur etiam *Forisca-*
pium, quod quasi foris, hoc est extra pretium, quod venditori
semper integrum manet, capiatur. Item *Anata*, *Acapita*, *Penna*
aurea, *Laudationes*, de quibus vid. Frantzk. *d. cap. 1. num. 19.*
Rachatus *Dominica accordamenta*, Knich. *de pact. invest. p. 2. cap. 4.*
num. 121. Germanicè *Lehenwaar* / *Lehengeld* / *Handlohn* / *Hand-*
lesen / *Beglesen* / de quibus vid. Wehn. in *observ. pract. lit. H. verb.*
Handlohn. Besold. in thes. pr. ibid. Schneidw. *ad Instit. de loc. §. 3.*
num. 12. Carol. Molin. in *Comm. Cod. de Jur. emphyt. Sich. ad l.*
ultim. C. eod. Item *Anseid* / *Erbschaft*. Giph. in *Comm. Cod. d. r. inf.*
Et in Episcopatu Hildesensi auff den *Meyer vnd Frengedingen* /
nennet man es *Bmsaß* vnd *Ansaß*.

Definitio.

X. Et in hac significatione definitio *Laudemium*, quod sit
pars pretii sive estimationis rei, ex alienatione vel manus mutatione cer-
torum bonorum, in quibus possessor utile dominium habet, pro investitura
& rece-



& receptione, domino directo à novo emphyteuta præstanda, Generis loco portionem sive partem pono, idque ex verbis Justiniani, in d. l. ultim. reliqua loco differentia specificæ sunt, ita ut salva veritate definitio cum definito converti possit. Aliam definitionem vid. ap. Coler. in decis. Germ. 33. n. 1. adde Dn. Frantzk. d. tr. c. 2. num. 2. qui finem adhuc adjicit. ut is domino obligetur, & dominium in ipsius persona recognoscat, quod tamen, cum ad investituram potius spectet, & sine eo quoque rei natura probe possit cognosci, tanquam superfluum lubens omisi.

XI. Divido laudemium ex causa efficiente in Conventionale & Legale, Conventionale voco illud quo ex conventionem partium in illis locis, ubi alias illius nullus usus, solvitur. Quod, cum nullibi prohibitum, ut talibus pactis contractui lex dicatur, quæ substantiam ejus non invertant, omnino licitum esse arbitror cum Vult. de feud. l. 1. c. 7. num. 83. & 84. edit. ultim. Quo etiam refero ob effectus paritatem illud, quod statutis introducitur, & statutarium appellari potest.

Divisio ratione causæ efficientis.

XII. Legale vel est legale in specie sic dictum vel Consuetudinarium. Illud ex d. loc. ult. C. de jur. emph. totum dependet, potestque vocari emphyteuticarium, cum ex alienatione talium bonorum ex mente istius legis saltem debeatur. Hoc ad imitationem juris civilis, ad alia etiam bona, puta feudalia, censitica, & similia extensum fuit.

XIII. Quod ex causa formali iterum in duplici est differentia. Aliud quod grandiore nomine insignitur sive majus appellatur. Germ. hohe Lehenwaar / estque vel simplex quando 10. vel 5. pro 100. vel geminatum quando 20. pro centum pendendi. Aliud minorum est gentium, vocaturque kleine Lehenwaar / quando in feudis civilibus 16. denarii Schreibschilling solvuntur, quod quandoque duplicari solet, diciturque etiam Bestätigungsgeld / vid. Wehn. obs. pr. verb. Handlohn / S. est igitur Jung. Knich. d. tr. p. 2. cap. 4. n. 146. & seq. Coler. decis. 33. n. 3. Frantzk. c. 3. per tot.

Divisio ratione formæ.

XIV. Verum circa hanc consuetudinem duo adhuc omnino notanda occurrunt, [1.] Quomodo ea probanda [2.] Quomodo interpretanda. Et probanda quidem ea idcirco est, cum sit facti, neque adeo universalis, sed multis in locis

Probatio consuetudinis.

adhuc juri communi stetur. Fit autem illud vel per testes, vel per Scripturam.

Per testes.

XV. Testes duos sufficere puto, & in feudalibus quidem maximè, si fuerint pares curiæ, *argum. 2. F. 32. I. F. 10.* & senes, qui ita semper observatum esse, idemque se à majoribus accepisse asserant, idque ita ut ex iis, usus, frequentia actus, & temporis diurnitas constet, quæ ad probationem talem omninò requiruntur secundùm ea, quæ habet Gail. 1. *observ. 31. n. 14.* & Minsing. 6. *observ. 31. num. 3. & seqq.* & Masc. *de probat. volum. 1. concl. 424. num. 2.* Cum alias ex istorum dictis colligi non possit vasallos, vel expressè vel tacitè, in ejusmodi exactiones laudemiorum consensisse, neque reclamasse, præsumaturque ea soluta esse, vel per impressionem, vel per errorem, vel animo sibi non præjudicandi, sed saltem lites execrandi, vid. Matth. Berlich. p. 1. *dec. 74. cum mult. ibi alleg.* Cui etiam multum pondus addet, si actus in Cancellaria sive Grammatophylaceo tractatus probabitur, cum illud publice & palam factum censeatur, *arg. l. non existimo. 54. de admin. tut. vid. Knich. de pact. invest. p. 2. c. 4. n. 176.*

Per scripturam.

XVI. Scriptura probatur talis consuetudo. [1.] Si ea fuerit in scripturam redacta, quod sit vel simpliciter memoriæ causa, ad sumptus scilicet probationum & lites minuendas, uti videre licet in antiquissimis consuetudinibus feudorum, & aliorum municipiorum quoque & districtuum, quas Juri interdum suis commentariis illustrare amant. Quales sunt Consuetudines Bituricenses ad quas Boerius, Parisienses ad quas Molinæus & Choppinus, Marchiacæ ad quas Schlepitz, Lunæburgicæ ad quas Hardwig à Dassel, commentati sunt. Vel interdum illud etiam fit in rebus judicatis, quæ in acta publica solent referri, si cum contradictor negaret, pro asserente decisum fuerit. Mascard *vol. 1. concl. 427.* Quod tamen non intelligendum, quasi res judicata faciat consuetudinem, sed quod judex eam declaret.

XVII. [2.] Instrumentis publicis Bocer. 1. *disput. 1. th. 51.* Mascard. *volum. 1. conclus. 425. num. 3. & conclus. 229. num. 7.* Quo etiam refero libros officialium publicorū, vulgò *Ampis-Register*

Register / Ampts-Bücher / qui plenam fidem merentur, inni-
tuntur enim authoritati publicæ, & præpositi sunt publica fi-
de, ad rationes publicas, Befold. *in th. pr. lit. A. verb. Ampts-bü-*
cher / quemadmodum olim libri argentariorum publicæ fidei
reputabantur, cum argentarii publica autoritate essent muniti,
l. argentarii. 10. §. 1. ff. de edend. Jung. Bornit. de Instr. l. 3. cap. 11.
Non autem eodem modo probant libri Nobilium & censua-
les, qui vocantur Erb-Register sive Erb-Bücher / quos non suf-
ficientes esse absque aliis adminiculis, & ratio & jus dicitur.
Cum enim sint scripturæ privatæ & domesticæ, pro se fidem
facere nequeunt. *l. instrumenta. §. 1. rationes. 6. & seq. C. de probat.*
licet maximè contra se l. 25. §. ultim. C. de probat. Anth. si quis C.
qui pot. in pign. Quod adeò verum est, ut neque fisco, ejus
tamen favor magnus & multis aliàs privilegiis munitus est,
privata scriptura quicquam profit. *l. exemplo. 7. C. de prob. & l.*
ultim. C. de conven. fisc. debit. Jung. Giph. ad l. 5. C. de probat.
Potest tamen fieri, ut adminicula habeant, quibus suffulti pro-
bent, nimirum si sint antiqui, ordinata serie conscripti, in
publico archivo reperti, & custoditi, scriptoris morte confir-
mati, vel testibus verificati, vid. Dan. Muller. *l. 4. Semest. c. 37.*
Wehn. *observ. pr. lit. B. verb. Bücher. num. 11. Rntg. Rul. tr. de*
commiss. p. 2. t. 5. c. 13. num. 2. Jung. Frantz. d. cap. 4. num. 29.
Dn. Carpzov. *in Jurispr. Rom. Sax. p. 2. const. 4. def. 6.*

XVIII. Interpretatio autem hujus, consuetudinis, tum
quod inter odiosa referatur laudimiorum jus, uti Doctores
communiter statuunt, vid. Andr. ab Hern. *cap. 1. §. sed & res. n. 7.*
per quos fiat invest. Andr. Knich. d. tr. p. 2. c. 4. num. 129. Tum
verò maximè, quod exorbitet, à juris communis feudalis dis-
positione, ideoque ad casus eadem non expressos, non exten-
denda *argum. l. quod constitutum. 21. ff. de mil. test. l. quod non ra-*
tione. 39. ff. de LL. c. cum dilectus. 8. ext. de consuet. Exinde à feu-
do, de quo Laudemium præstatur, ad alterum ejusdem curiæ,
non valet consequentia, quasi idem de eodem debeatur, Ro-
senth. *in synopsis. feud. c. 6. conclus. 66. num. 6.* nisi de generalitate
consuetudinis constet, aut jus laudemii quidem sit extra con-
troversiam, de quantitate autem saltem dubitetur, tunc enim
extensio bene procedit. *Id. c. 7. conclus. 43. num. 18. Wesemb.*
conf. 74.

conf. 74. num. 31. & seqq. Neque etiam, si quotiescunque manus mutetur in feudo, laudemium præstandum fuerit, illud ad manum dominantem, sed ad fervientem tantum extendendum est. *Rosenth. d. c. 6. conclus. 66. num. 7.* Sunt verò limites hujus interpretationis potissimum ex *dict. loc. f. C. de jur. emphyt. petendi*, quam in consuetudine etiam sequendam Doctores communiter uno ore consentiunt. *vid. Harm. Pist. quest. 50. num. 6. Coler. decis. 33. num. 7. Carpzov. p. 2. constit. 39. def. 28. Ziegler. ad aur. prax. Calvol. §. nobiles conclus. 1. num. 267.* Quasdam tamen exorbitantias notavit *Knich. d. tr. p. 2. c. 4. n. 203.* ubi dicit consuetudinem chymica arte nigrum in album commutare.

Specialia. XIX. Haftenus de generalibus, in specialibus jam ita progrediar, ut agam [1.] De personis quibus laudemium solvendum, & qui solvere teneantur, [2.] De rebus, de quibus, [3.] Quando & quoties. [4.] Quid vel quantum, [5.] Quibus remediis utrinque & illi qui perit, & ei à quo exigitur consultum eatur, & [6.] denique tanquam coronidis loco affinia quaedam adjiciam. Quibus cancellis rem totam complecti, non abs re futurum arbitror.

*Personæ
quibus sol-
vitur.*

XX. Et [1.] de personis, quibus laudemium solvendum indubitati juris est, Dominum directum, qui universum rei proventum & emolumentum alii concedendo jus directi domini sibi reservavit, illud exigere posse. Sub cujus appellatione per quandam analogiam, etiam vasallum sub infeudantem non absurdè contineri puto, eo nimirum casu, si subfeudū alienetur, & ille novo possessori investituram facere teneatur. Cum enim novus subvasallus, vasallum tanquam dominum directum recognoscat, & ab eo investituram recipiat, ratio nulla obstat, quo minus ille eodem modo laudemium solvat, quo modo Dominus directus illud ipsum alias à novo suo vasallo recipere consuevit. Idq; eo magis cum verus dominus directus, à novo subvasallo nihil petere queat, quodque ille nullum respectum ad Dominum mediatum habeat, neque ipsi fidelitatem, qua talis, præstare teneatur, *vid. Alvar. Valasc. de jur. emphyt. quest. 13. num. 17. Vult. 1. Feud. 10. num. 139.* quod ipsum etiam hodie, in iis qui feuda à Principibus tenent, de iisque

de iisq; postea alios subinfeudant in viridi est observantia. Dis-
sentiunt multi quos vid. apud Frantzk. *d. tr. cap. 7. num. 125.*
Et diversum quoque statuit, in subemphyteuticando, quando
emphyteuta subemphyteutam constituit, à quo canonem re-
cipiat tanquam Dominus directus, & postea subemphyteuta
subemphyteusin alienet, quod tunc non emphyteutæ, sed
Domino laudemium sit præstandum. Ludov. Molin. *tract. de*
justit. & Jur. tract. 2. disput. 459. num. 15. contra Alvar. Val. *d.*
quest. 13. num. 12.

XXI. Sed si plures sint Domini, utrum etiam plura laude-
mia præstanda, quæstionis est. Negativa nobis verior vide-
tur, *argum. l. cui fundus. 56. de condit. & demonstr. quod omnes*
instar unius Domini habeantur, & proinde unam solam in-
vestituram facere, & unam fidelitatem habere possint, c. un. in
f. si plures sint Dom. 2. f. 77. etiam si feudum inter se dividant.
d. c. Jung. Hartman. Pistor. l. 2. quest. 47. num. 29. Quod si
autem Domini super investiturâ faciendâ nequeant conveni-
re, Vasalli electionem esse cui Dominorum jurare velit, ratio-
nis est, juxta vulgatum illud, quod rei electio sit. *l. plerumque 10.*
S. ultim. ff. de jur. dot. add. Clar. S. Feudum quest. 49. num. 11. in f.
Vult. 1. Feud. 7. n. 97. & ea imprimis, quæ habet Dn. Frantzk.
c. 7. num. 137. Solet tamen plerumque inter eos quædam esse
prærogativa vel propter ætatem, *arg. l. semper. 5. de jur. immun.*
vel propter pactum invicem initum, & tunc ille, qui investitu-
ram facit, etiam laudativum tollit. Alias autem illud pro virili
solvendum, si omnes simul eam fecerint. Ita Johan. Ferrar. *de*
jur. emphyt. S. proinde.

XXII. Interdum etiam evenire potest, ut non ipse Do-
minus laudemium percipiat, sed loco ipsius usufructuarius il-
lud prætendat, quod cum aliquantò intricatius mihi videatur,
non abs re forsan erit paululum illud distinctius proponere;
Et hoc, ut eò meliùs fiat, tribus membris rem absolvam: [1.] An
usufructus possit constitui in tali aliqua re, in qua jam tum,
emphyteusis, feudū, aut simile aliquid est concessum [2.] Eo
concesso an laudemia in fructu esse, & ita fructuum jure ab usu-
fructuario percipi possint. Et [3.] denique quomodo &
quando ea percipiat.

B



XXIII. Primum quod attinet, videtur illud exinde dubium fieri, quod in prima emphyteusis concessione jam tum plus à proprietate avulsum sit, quam si statim in initio usufructus earum rerum fuisset constitutus. Verum superesse nihilominus adhuc fructus quosdam jam dicemus. Notum est, ex *l. quotiens. 34. §. 2. & ultim. & l. omnium. 29. ff. de usufr.* omnium bonorum usumfructum concedi posse, quod cum sit, sine dubio etiam illa bona sub illo continentur, quorum emphyteusis, vel simile aliquod jus, est concessum, modo ea sint habilia, ex quibus fructus possint percipi, habilia autem ea esse, probatu non est difficile. Cum enim Dominus propter ea adhuc aliquid percipiat, quemadmodum ex feudo servitia, canonem ex emphyteusi, ex bonis censiticis censum, horumque omnium gratia in investiturâ propter alienationem factâ, laudemia, certe horum esse utilitatem quandam, ejusque respectu posse usumfructum constitui neminem inficias ire credo. Idque eo magis verum, quod usufructus in talibus rebus constitutus reperiatur, quarum utilitas vix apparet, & cognosci potest, *argum. l. statua. 41. ff. de usufr.* ut servi fugitivi, ægroti, infantis, vel defectæ senectutis hominis, *l. arboribus. 12. §. 3. eod.* Numismatum aureorum ac argenteorum quibus pro gemmis utimur, *l. numismatum. 28. eod.* Imò etiam eorum prædiorum in quæ plus impendimus, quam ex iis acquirimus. *dict. l. 41. §. 1.*

XXIV. Secundum membrum quod attinet; An laudemia ad usufructuarium pertineant? Illud affirmandum cenfeo. Pertinent enim ad ipsum fructus omnes non tantum propriè & strictè ita dicti, uti in *l. usura. 121. de V. S.* sed omnes etiam redditus, qui occasione rei percipiuntur, *l. usufr. legato. 7. §. 1. ff. de usufruct.* Jung. Joh. del Castillo, *tr. de usufruct. cap. 36. num. 34.* indubium autem est laudemium occasione rei emphyteuticæ percipi, quemadmodum etiam ea Andr. Knich. *de pact. investit. d. p. 2. cap. 4. num. 124.* inter adventitia feudorum emolumenta recenset. Atque ex his etiam concludit Ludov. Molin. *d. just. & jur. d. tr. 2. d. 459. num. 21.* si filius haberet directum dominium quorundam bonorum adventitiorum in emphyteusia datorum, laudemium, si eorum occasione ali-

ne aliquid perciperetur ad patrem spectare. Dissentit Fr. Hott. l. 5. observat. 9. cujus argumenta recenset, eademque refellit Dn. Frantzk. d. c. 7. num. 87. & seqq. Attamen quamvis hæc ita sese habeant, tamen investituram, propter quam laudemium solvitur, à Domino esse perficiendam, fatendum est, non verò ab usufructuario, nisi procuratorio nomine, quod si enim hoc ipsum proprio nomine facere permissum fuerit, inter illum & verum Dominum nulla esset differentia, adeoque non formalis amplius, sed causalis ususfructus inde existeret.

XXV. Ex quibus etiam patet, hoc usufructuario qua tali cedi non posse. Notandum enim Domino directo duplicia jura competere: alia honoratiora nimirum, quæ ita ipsi inhærent, ut ab eo salvo directo Dominio divelli nequeant, talia sunt recognitio, fidelitas, investitura; Alia pecuniaria, quæ commodum pecuniarium referunt, & in fructu esse dicuntur ceditque possunt. Ita ea distinguit Molin. ad consuet. Paris. c. 1. §. 33. gl. 1. num. 1. citatus à Dn. Frantzkio, d. tract. c. 7. num. 81. Jung. Anton. Fab. in Cod. l. 4. t. 43. def. 46. Clar. libr. 4. recept. sentent. §. Emphyteusis. quest. 23. num. 5. Hartm. Pistor. l. 1. quest. 50. num. 5. Ziegler. d. §. nobiles. n. 212. Et novissime Dominus Carpzov. in pr. for. const. 39. def. 31. n. 1.

XXVI. Superest jam tertium membrum, quomodo & quando usufructuarius laudemium percipiat: Ubi præsupponendum est, usufructuarium tantum perceptione fructus suos facere, l. usufructuarius. 13. quib. mod. usufruct. vel us. am. Deinde eum non nisi perceptos ad heredes transmittere. Fructus enim vel sunt naturales, qui percipiuntur, quando ab usufructuario vel ejus nomine à solo sunt separati, vel civiles, inter quos etiam laudemium, qui tunc, quando dies eorum cesit, percepti dicuntur, & operatur in iis tantum diei cesio, quantum separatio à solo in naturalibus, argum. l. Valerius. f. in f. ff. de jur. fisc. & antequam dies eorum cesserit æquiparantur fructibus pendentibus. Jung. Covarr. lib. 1. var. resolv. c. 15. num. 2. & Consultis. Dn. Henric. Hahn. Pand. Prof. celeberr. in Acad. Jul. Præceptor quondam meus summè honorandus, in not. ad parat. Wesenbec. nondum hætenus editis. t. quib. mod. usufruct. amitt. num. 3. ad verb. nisi quatenus sunt percepti.

XXVII. Cum autem in laudemis ante factam investituram dies non cedat, exindeque non incipiant deberi, liquet exinde, si usufruct. legato ante aditam hereditatem (à qua diem usufructus cedere constat, cujus rationem eleganter tradit Nicol. Noalis *de transmiss. c. 2. num. 11.*) emphyteusis vel feudum sit alienatum, postea verò investitura fiat, laudemium non ad heredes, sed usufructuarium pertinere. Et contra si alienatio fiat vivo usufructuario, investitura verò eo mortuo, laudemium non ad usufructuarii heredem, sed ad proprietarium spectabit. vid. Frantzk. *c. 7. n. 64. & seqq.*

XXVIII. Neque illud diversum obtinet in colono sive conductore, qui omnia domini directi emolumenta ad certum tempus conduxit, in quo eodem modo tempus investituræ spectandum, rationis esse duco, vide prolixius hæc tractantem Frantzk. *d. c. n. 105. & seqq.* & Anton. Fabr. *de error. pragmat. dec. 97. err. 6.* Quid si verò Dominus laudemium remiserit, an nihilominus colonus illud jure exiget? Affirmantem sequi cum Dn. Frantzio *d. c. num. 122.* non satis tutum arbitror, sed potius ex conducto contra Dominum agendum censeo *arg. l. fin. ff. de transact. l. 3. C. de novat. in princ.* Jung. Anton. Fabr. *in Cod. suo l. 4. tit. 42. dis. 30.* Sed si ipse Dominus fundum emphyteuticum emat, an colonus justè laudemium petet? negandum illud puto *arg. l. si peculium. 6. §. sicut. 4. vers. cum peculium. ff. de pecul. leg. gl. in l. emtor. C. de hered. vend. Jung. text. in l. locatio. 9. §. ult. de publ. & Frantzk. d. c. 7. n. 141. Et c. 16. num. 223. Wehn. obs. pr. verb. Handlohn.*

Qui laudemium præstare teneantur.

XXIX. Huc usque de iis, qui laudemium accipiunt, sequuntur illi, qui id præstare tenentur. De iis pro regula notandū, quod omnes ii, in quos emphyteusis, feudum, vel simile aliquod jus transfertur & opus habent investitura, relevium Dominoolvere teneantur. Opus autem tum esse investiturâ, quando novus vasallus Dominum directum non agnoscit, neque ipsi ad canonis vel fidelitatis præstationem est obligatus, postea latius dicemus.

XXX. Inde liquet, omnes illos, qui titulo universali succedunt, quocunq; etiam id modo fiat, sive ab intestato, sive ex testamento, ad laudemii præstationem non teneri. Ratio in promptu

promptu est; quod nimirum defunctum repræsentent, & cum eo pro una eademque persona habeantur, adeoque in omnia jura tam activè quàm passivè succedant, *l. nihil est aliud. 24. de V. S. Novell. 48. in pr.* quocirca non opus sit ulla investitura, quamque prætere Dominus nequeat, cum heredem jam tum habeat obligatum. Exempla vide apud Coler. *decis. 33. num. 3.* Hartm. Pistor. *l. 1. quest. 50. num. 59.* Knich. *d. tract. part. 2. cap. 4. num. 201.* Atque huc etiam refero casum, si liberi feudum vel emphyteusim à parentibus in anticipationem & accelerationem futuræ successionis dono accipiant, quia talis donatio vera alienatio non est. *cap. 1. in pr. de alien. feud. patern. 1. Feud. 39. & argum. l. 1. C. de imp. Curat. descr. add. Carpzov. in pr. for. part. 2. con. 39. d. 27. Fab. in Cod. suo. l. 4. t. 43. def. 71.* Quod tamen secus, si feudum agnato remotiori fuerit refutatum, per ea quæ tradit Frantzk. *cap. 8. num. 76. & mult. seqq.* Jung. Steph. Grat. *discept. for. c. 18. num. 22. & seqq.* Diss. quoad successores testamentarios Ziegl. *ad aur. pr. Calv. §. nobiles. n. 250.* & Besold. *in th. pr. l. H. verb. Handlohn. §. laudemii onus.*

XXXI. Ex quibus sequitur saltem, illos, qui titulo singulari succedunt, ad illud pendendum obligari, quod in istis ratio jam dicta cesset, indeque investitura opus habeant. Et ex eo etiam commune Doctorum axioma explicandum erit, quo asserunt, quod qui in prima investiturâ continentur, ad laudemium præstandum non sint obligati. Si enim hoc simpliciter intelligatur, vix est, ut veritati conveniat, cum evenire possit, ut is, qui in prima investitura continetur, tamen relevium solvere opus habeat, si nimirum singulari titulo succedat. Et contra aliquando ille, qui in prima investitura non comprehenditur, nihilominus à laudemio liber existit, prout in testamentariis successoribus accidere potest.

XXXII. Illud facile concesserim, investituram tantum operari, ut in illum liberè emphyteusis vel feudum absque consensu Domini possit transferri, (quemadmodum idem de legatario emphyteuseos accidere potest, juxta ea, quæ habet Lud. Molin. *de J. & J. tr. 2. disput. 461. num. 8.*) cum tamen id ratio adæquata laudemii præstandi non sit, (ut infra in thes.

latius exponemus, etiam exinde firmum argumentum accipi non poterit.

XXXIII. Atque ex his dictis etiam patet, laudemium ad novum emphyteutam sive vasallum pertinere, cum ille saltem investiturâ opus habeat. De quo Dominus quamprimum, alienatione perfectâ, eam fecit, jus quæsitum habet, quo fit, ut, etiam si contrahentes inter se pacti fuerint, ut, transfrens, sive venditor onus relevii subiret, tamen illud Domino præjudicare nequeat, licet hoc inter paciscentes non absque ullo effectu sit, *l. 24. ff. de pact. l. debitorem. 25. cum l. seg. C. eod.* quod tamen moribus interdum diversimodè observari testatur Wehner. *in pr. observ. verb. Handlohn / §. solvitur laudemium.* Ziegler. *d. §. nobiles, num. 6. & 216.* Add. Wesembec. *conf. 16. num. 2.* Hartm. Pistor. *d. quest. 50. num. 4.* Jul. Clar. *§. emphyteusis quest. 23. n. 4.*

XXXIV. Verùm enimverò, licet hæc omnia ex ratione juris scripti ita verissima fuerint, Usu tamen diversimodè observari facile deprehendere licebit, ita ut etiam in quacunque vasalli mutatione, sive illa ex titulo particulari sive universali fiat, relevium sit in quibusdam locis pendendum. (Quemadmodum testantur Coler. *decis. 33. num. 35.* Wesembec. *conf. 16. n. 2.* & olim etiam circa annum post C. N. millesimum, ab ordinibus Scotiæ, tempore Regis Malcolmi, invicem publici patrimonii constitutum fuisse, ut ab omnibus heredibus redemptionalia feudorum seu relevia darentur, notatum est à Chopp. *de doman. Franc. l. 3. cap. 1. num. 18.*) Ex quo etiam effectum, ut in ejusmodi casibus, ubi nulla manus mutatio facile sperari potest, nempe si universitas, sive communitas, qualis est Ecclesia, Civitas, & quodvis aliud licitum Collegium, feudum vel emphyteusin possideat, substitutum quem vulgò Lehenträger appellant, intervenire necessum sit, ad cujus mortem, ne Dominus fructu laudemii fraudetur, respectus haberi solet. Et tales sunt plerumq; in Ecclesiis Prælati, in Civitatibus & Collegiis Syndici & administratores, aut etiam alius ad id specialiter deputatus. vid. Berlich. *part. 1. decis. 22. num. 2.* cujus sententiam quidem approbat, sed rationes corrigi Frantzk. *c. 8. num. 130.*

XXXV. Ali-

XXXV. Aliter adhuc in quibusdam locis, contra juris civilis & sæpè *d. l. ultim.* dispositionem, usu receptum est, ut non emtor, sed venditor laudemium præstet, uti etiam in plerisque Gallia locis id receptum, exemplum vide apud Frantz. *c. 23. num. 3.* Interdum etiam illud inter utrumque dividitur, uti hoc de moribus Fuldicis testatur Knich. *d. tr. p. 2. c. 4. n. 190.* ita ut emtor decem, & venditor 20. solvere teneatur. Sed omnia ea, quæ ita consuetudine variant, jam colligere, ratio instituti non patitur.

XXXVI. Haftenus de personis, sequuntur res, de quibus laudemium præstandum. Quæ in genere nihil aliud, quam tales, in quibus alter utile dominium alter verò directum habet, estque in omnibus illis jus quidem uno eodem modo, at tamen prout in initio hujus vel illius constitutionis pactis conventum fuit, ita etiam illis singulis lex & forma distincta data est. Talia in specie sunt, *Emphyteusis, Feudum, bona censitica, libellaria, Superficies, & præcaria*, quæ singula, non tam propter utile dominium, quod in illis possessor habet, quam propter pacta in principio talium bonorum adjecta, inter sese sunt differentia. Ita, e.g. emphyteuta utile dominium habet, sed eo pacto (quod ipsi formam dedit) ut quotannis canonem solvat, Vasallus in feudo, ut fidelitatem præstet, & sic in cæteris. vid. Cujac. *l. 1. f. 5.* Jung. Frantz. *c. 14. num. 8. ubi latè pro utili dominio contra Forster. de domin. cap. 5. & alios disputat.* De singulis pro subjecta materia paucis ordine agam.

XXXVII. Primò sese offert, *Emphyteusis*, propter quam laudemii jus Justinianus Imperat. in *l. ult. C. de jur. emphyt.* primitus determinavit, quod postea ex identitate rationis, moribus ad reliqua est extensum. Eam hic accipio (relictis aliis significationibus, quatenus aliquando pro re, aliquando pro contractu sumitur) Jus quod aliquis habet in re, sub annuo canone quotannis in recognitionem domini directi præstando, sibi concessa.

Naturam emphyteuseos vulgò Doctores non semper eandem esse statuunt, dividuntque illam idcirco, in *Civilem & Ecclesiasticam*; quod quomodo verum sit, ex utriusque descriptione & jurium mutatione monstrare breviter nitam, sed eatenus

Res quæ sub laudemium cadunt.

Emphyteusis.

nus



nus saltem, quatenus ad successionem & ejus alienationem, quæ ad nostrum institutum aliquid faciunt, melius cognoscendam illud necessarium arbitrabor. *Civilis* est, quæ in rebus propriis à Laico, alicui, vel etiam Ecclesiæ conceditur. *Ecclesiastica* econtra, quæ ab ecclesia, aliisque collegiis venerabilibus, aut potius illorum œconomo vel prælato, in rebus Ecclesiasticis, alteri Ecclesiæ vel etiam Laicis constituitur. *Novell. 7. c. 1. & Nov. 120. c. 1. c. hoc consultissimo. 2. in pr. de reb. eccles. non alien. in sexto.*

XXXVIII. Cæterum civilem ex sua natura etiam ad extraneos sive ex testamento, sive ab intestato transire, inter omnes indubium est. vid. *S. adeo. 3. l. de loc. & cond.* Quod in ista quidem facile ita obtinuit, cum cuique liberum fuerit, res suas eo modo concedere, quarum nulla alienatio interdicta erat. Et cum hoc etiam non diversimode, in prisca ætate, in rebus Ecclesiasticis sese haberet, ita ut Prælati & œconomi venerabilium locorum, res eorum adhibitis requisitis alienare potuerint, non absurdè conicere licet, etiam emphyteusin talem, ut civilem ad omnes heredes transisse. Verum postquam Imperatores ex pio affectu, ne res Ecclesiæ facillè jacturam paterentur, earum alienationem prohibuerunt, eo ipso etiam emphyteuseos perpetuæ concessio, cum illa ab alienatione non procul distet, interdicta fuit. *Nov. 7. c. non igitur. 1. vers. alienationis autem.*

XXXIX. Attamen cum in hoc negotio subinde juris mutatio facta fuerit, operæ pretium erit, illud ordine recensere. Primam igitur prohibitionem, cujus in nostro jure mentio fit à Leone Imper. de rebus majoris Ecclesiæ Constantinopolitanae, esse factam, ex constitutione *in l. jubemus. 14. C. de SS. Eccles.* conicere licet. Hanc postea Anastasius Imper. *in l. 17. C. eod.* ad omnes venerabiles domos sub illa Constantinopolitana administratas & sitas extendit, in cæteris verò adhibita certa solennitate & necessitate urgente, adhuc alienationem permisit. Accessit tandem Justinianus, qui abrogata Anastasii lege, Leonis constitutionem ad omnes Ecclesias & venerabilia loca, qualia sunt, Monasteria, Ptochotrophia, Xenodochia, Nosocomia, &c. *in Novell. 7.* porrexit. Ubi tamen notandum
tempo-

temporalem emphyteusin sub prohibita alienatione non fuisse contentam, sed perpetuam saltem. Et illa quidem ab Anastasio ad tempus vitæ æstimata fuit, *l. 17. §. 3. de SS. Eccl. In Nov. 7. cap. 3.* autem ad nepotes usque permessa reperitur. Attamen neq; hoc stabile fuit, sed Justinianus illam *Nov. septimam*, per *Novell. 120.* postea planè abrogavit, ita ut pristina libertas perpetuam emphyteusin in rebus ecclesiasticis constituendi, extra Constantinopolitanam majorem, restituta fuerit, cui tamen certa forma & solennitas fuit imposita, quemadmodum ex *d. Nov. 120. c. 6. §. 1.* videre licet. Ex quibus omnibus satis apparet, ecclesiasticam emphyteusin perpetuam à civili, quicquid etiam Doctores contra statuant, nihil suâ naturâ in successione differre. vid. *Giph. in t. Cod. de jur. Emph. p. 154. col. 2.* Quod idem neque jure Canonico secus arbitror, cum in illo ipso ecclesiasticarum rerum alienatio, adhibita solennitate simpliciter eodem modo permessa legatur, in *Cl. 1. & 2. de reb. eccl. non alien. c. ad aures. 7. ext. eod. Jung. c. sine exceptione. 12. q. 2. can. hoc jus. 10. q. 2. & Ritterh. de differ. J. Civ. & Can. l. 7. c. ult.* Quæ cum ita sese habeant, frustra Doctores, talem emphyteusin in successione, ad descendentes saltem restringunt, inter quos *Jul. Clar. in recept. sent. §. Emphyteusis quest. 28. n. 8. Covarruy. var. resol. cap. 18. concl. 5. cap. 17. concl. 4. Rittersh. de diff. Jur. Civ. & Can. l. 3. c. 24. diff. 1.* Quorum opinionem latè refutat *Dn. Franzk. d. tr. cap. 9. §. 51. & seqq.*

X L. Et hæc de natura sucesionis in emphyteusi dicta sunt. Alienationem quod attinet, sciendum est, Emphyteutam potestatem habere, sive meliorationes & Emponemata, sive ipsum jus emphyteuticum in alium idoneum etiam absque consensu Domini transferre. Idque Jure veteri simpliciter verissimum est ex *§. adeo. 3. J. de loc. & conduct.* ubi Imper. disertè inquit, quamdiu pensio domino præstetur, Emphyteusin nec conductori (i. e. emphyteutæ) nec cui ille prædium vendiderit aut donaverit, auferri posse, quod tamen in sæpè *d. l. ult.* in jure novo postea paulò aliter sancitum, ita ut hodie in tali alienatione licet non consensus, attamen scientia domini omnino sit necessaria, si modo emphyteuta pœnam caducitatis vitare velit. Verùm neque illud uno eodem-

C

que modo semper est accipiendum, sed duplex verbi alienare significatio attendenda: *communis* nimirum, quâ omnes contrahendi modos, quibus per traditionem jus aliquod transferatur, includit *l. 2. 8. de V. S.* ubi Doctores, & *specialis*, qua ad venditionem saltem restringitur, & ita accipitur in *d. l. fin. ibi alienare vel jus emphyteuticum in alium transferre. C. d. jur. emph.* Quemadmodum enim interdum venditio pro omni alienatione accipitur, propterea quod ea sit frequentissimus alienandi modus, & idcirco generis nomen assumat. *l. statuliberi 29. circ. f. de statulib. l. sicut. 8. §. venditionis II. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* ita etiam eodem modo citra absurditatem generale alienationis vocabulum ad speciem venditionis restringere, præsertim cum textus illud suadeat, non absolum erit, *argum. l. f. C. de præd. curial. libr. 10. ubi Cujac.*

XL I. Hisce præsuppositis, concludo, *In venditione tam meliorationum, quàm ipsius juris emphyteutici in initio contractus scientiam Domini omnino requiri, in reliquis autem alienationibus, (e.g. donatione, permutatione, &c.) tempore translationis, sive traditionis eâ saltem opus esse, & quidem utrumq; sub pœna caducitatis, d. l. f. ibi: meliorationes, que Græco vocabulo ἐπιτιμήματα dicuntur, alienare vel jus emphyteuticum in alium transferre.* Et paulò post minime licere emphyteutæ sine consensu Domini meliorationes suas alii vendere, vel jus emphyteuticum transferre. Cum enim proprietario duplex jus concedatur, congrui nimirum sive retractus & laudemium, ex investiturâ competens, eatenus ipsius scientia requiritur, quò in neutro ipsi injuria fiat, & quidem in venditione ea statim in principio est necessaria, quia in illa saltem Domino deliberare permittitur, si intra duos menses jure suo protiniseos uti velit, & tantum emphyteutæ pretium præstare, quantum ille ab alio pro re emphyteuticâ recepturus esset.

XL II. Verùm cum idem in aliis alienationibus, puta donatione aut permutatione, non obtineat, de quo *vid. constitut. Fridler. de jur. protimis. §. ex causa tamen dotis & Gothofr. ad l. 14. C. de rescind. vend. Jung. Corvin. in enchir. sub rub. de jure retractus. Molin. de just. & J. tr. 2. disput. 370.* quin etiam tales alienationes legibus facilius interdum permittantur, *argum. l. ult. C. de præd. decur. libr. 10.* Hinc frustra in istis de Domini scientia quæritur,



quæritur, cum ibi illius nihil interfit. Sed tamen, cum Domini adhuc quædã utilitas versetur in laudemis percipiendis, quæ ipsi pro investitura competunt, & ut canonis præstationem à novo emphyteuta, salvam habeat, hinc à Justiniano constitutum fuit, ut in translatione scientia ipsius interveniret, quã antea in contractu perficiendo opus non erat. Vide latè hæc disputantem Dn. Frantz. c. 9. n. 67. & seqq. adversus Sarmientum cap. 3. select. interpr. c. 2. & Steph. Forcat. in Necyom. dial. 10. n. 7. Paulò aliter circa alienationem Emphyteuseos statuunt Ant. Fab. in Cod. de Fur. emph. def. 29. Coraf. in d. l. f. n. 9. Jung. Cujac. ibid. Lud. Molin. tr. 2. de F. & J. disp. 461. n. 8. & novissimè Dn. Biccus in aureis suis Fur. civ. sect. 2. §. 43.

XLIII. Hæc de emphyteusi sufficiant. Nunc ordine ea, ^{Feudum.} ad quæ jus laudemii ex consuetudine est extensum, prosequamur. Ubi primum locum *Feudum* occupat. Relictis reliquis significationibus, quibus aliquando pro contractu, quo illud promittitur, aliquando pro ipsa re in feudum concessa accipitur, illud definitio, *usumfruct. rei immobilis, ex benevolentia Domini, sub conditione fidei & obsequii concessum*, arg. eorum quæ habentur 2. F. 23. Jung. Rittersh. in partit. feud. l. 1. c. 3. ubi aliorum multas definitiones congregavit.

XLIV. Hujus saltem loci erit ea attigisse, quæ ad præsentem materiam lumen afferent, qualia sunt successio & alienatio. In successione distinguendum est, inter feudum *hereditarium & pactionatum*, sive ex pacto & providentia constitutum, & denique ab utroque mixtum, *Illud* ad quoscunque heredes etiam extraneos & testamentarios transfertur, & ita à propria natura deflectit. Hoc ex dispositione juris feudalis dependet, *Mixtum* verò cum reliqua hereditate est connexum, vide Molin. de F. & J. tr. 2. num. 472. num. 2. Rittersh. l. 1. cap. 4. n. 20. & seqq. Clar. §. *Feudum. quest. 9.*

XLV. Mihi hîc saltem de pactionato sermo erit. In eo, ^{Successio in feudo.} exclusa testamentaria dispositione, 1. *Feud. 8. 2. Feud. 9.* tantum ab intestato succeditur, idque vel ex linea recta vel transversali. In linea recta vel sunt *ascendentes* vel *descendentes*. Illi communiter excluduntur, 2. *Feud. 50.* Hi succedunt omnes, nisi excludantur, sive sint sui, sive eman-



cipati, sive posthumi, sive exheredati, præsertim in feudo antiquo.

XLVI. Excluduntur verò [1.] Naturales, licet quocunque modo legitimati, *S. naturales*, 2. F. 26. Quos tamen hodie in Imperio admissos testatur Gail. 2. *obs.* 141. n. 12. [2.] Adoptivi. *d. c. S. adoptivi*. [3.] Clerici. 2. *Feud.* 21. & 40. quod tamen Jure Canonico moribus etiam comprobato correctum. *c. ex transmissio. 6. ext. de for. comp.* Jung. Rittersh. l. 1. *cap.* 6. [4.] Furiosi & mente capti. 2. F. 35. [5.] Fœminæ, 1. F. 1. *S.* 3. 2. F. 11. nisi feudum sit fœmininum, & conditio & qualitas eas admittat. 1. f. 15. 2. f. 30. vel consuetudine illud aliter introductum, vel litteris investituræ sit cautum. 2. f. 8. 2. F. 2. 11. 23. 50. quod tamen non fit, nisi omnibus masculis ex primo acquirente deficientibus. vide Rittersh. l. 1. c. 14. & Garzon. *tr. de fœmin. in feud. recipiend.* [6.] Denique filii ex matrimonio ad morganaticam contracto nati, hoc est, qui ex ea uxore progeneri, cum qua matrimonium tali conditione contractum, ne patri ab intestato succedant. 2. f. 26. sed assignata sibi portione contenti sint, 2. f. 29. Jung. *Dn. Bicc. in aur. jur. civ. sect.* 1. *S.* 7. *lit.* 1.

XLVII. Deficientibus descendantibus in linea recta succedunt collaterales agnati descendentes, puta primò fratres, deinde fratrum filii, ascendentes verò tum demum admittuntur, si feudum fuerit antiquum, non verò si novum 2. *feud.* 19. Unde Hottomannus & Giphanius putant, nullam esse successionem collateralem in feudo, sive illud novum fuerit, sive antiquum, si enim id novum, agnatus planè non succedit, si vetus, succedit quidem, sed non tanquam agnatus, sed tanquam descendens primi acquirentis. Quam sententiam à recta ratione non aberrare arbitror, Jung. *Ritt. d. l. c.* 16.

XLVIII. Et licet in hosce omnes obligationes tanquam in heredes activè & passivè transferantur, tamen singuli intra annum & diem à Domino investituræ renovationem & quidem reverenter petere tenentur, 2. *Feud.* 22. sub pœna etiam amissionis 1. F. 40. 2. F. 24. Quod idcirco addo, cum enim sæpè dixerim, laudemium pro investiturâ deberi, forsan inde aliquis concluderet, etiam in hac successione idem obtinere, &

nere, & ita regulam illam supra thes. 30. traditam hinc exceptio-
nem pati. Sciendum igitur hanc investituram in feudis spe-
cialiter esse introductam, non ut illa obligationem peculiarem
inter vasallum succedentem & Dominum introduceret, quip-
pe quæ jam dudum inter eos ex successionis universalis natu-
ra erat radicata, ita ut in hunc finem novo actu opus non esset.
Sed ut vel inde reverentia vasalli erga Dominum magis appa-
reret, uti opinatur Schneidw. in epit. feud. p. 5. num. 4. Vel po-
tius propter juramenti præstationem, quò obligatio firmaretur,
quod, cum ex prioris vasalli parte personale fuisset, in here-
dem non transferat, c. veritate. 14. de jurejur. ubi Panormitan. &
Canoniste. Jung. Sichard. in sepe d. l. f. n. 34.

X L I X. Circa alienationem feudi tria probè sunt distin-
guenda, concessio nimirum fructus feudales percipiendi, de-
inde subinfeudatio, & demum ipsius juris feudalis abdicatio,
quæ solummodo ad nostrum institutum facit. Et quidem
circa primum, concessionem nimirum ususfructus, de laude-
miis quærere absolum videtur, cum ibi neque investiturâ
opus sit, nec ulla persona mutetur. Neque illud etiam magis
in subinfeudatione verum est, cum neque in ea primus vasal-
lus omne jus à se abdicet, sed nihilominus Domino directo
eodem modo obligatus maneat, ac si nulla subinfeudatio fa-
cta esset, indeque ipsi fidelitatem servare, & debita servitia præ-
stare teneatur, uti constat ex c. 1. §. similiter. 2. F. 34. Jung. Hart.
Pistor. p. 2. quest. 34. num. 2. & Frantzk. d. tr. c. 14. num. 43. &
seqq. Quod infra, ubi de alienatione in genere dicturus fuero,
magis planum reddere nitar.

L. Restat ergo, ut dicamus in sola abdicacione feudi lau-
demium peti posse. De qua ex t. 52. & 55. l. 2. feud. indubium est,
eam regulariter, sine consensu Domini, sub pœna amissionis
esse prohibitam, l. Feud. 13. Illud quod in feudo novo ita sim-
pliciter verum est, in feudo antiquo autem in super etiam agna-
torum consensus requiritur, 2. Feud. 39. quod si non observe-
tur, alienatio ipso jure non valebit, neque tum de relevio quæri
poterit. Sed hæc longius persequi in alium locum reservabo,
vide Rittersh. in part. feud. l. 2. c. 3. & Barthol. Camerar. tr. de

*Alienatio
Feudi.*

prob. feud. alien. qui omnia, quæ huc pertinent, nervosè tradit. Potest tamen hæc natura feudi vel in ipsa investitura pactis laxari, vel etiam consuetudine aliter introduci, quod etiam subinde à Doctoribus notatum, & ita illud de Sabaudia, tam in bonis feudalibus, quàm emphyteuticis, testatur Anton. Faber. *in Cod. suo. l. 4. t. 43. def. 8.* & in Gallia feuda ad instar patrimoniorum esse redacta, notissimum est, de quo vid. Cujac. *l. f. 1. add. Knich. d. p. 2. c. 4. n. 241.*

L I. Postremo adhuc superest inquirere, quomodo laudemiorum usus ad Feuda extensus. Cum enim notissimum sit, feudum beneficium ubique appellari, ut constat ex text. *l. f. 1. §. 4. l. f. 15.* & passim, cui nihil magis contrarium, quàm ut pretio redimatur, & pecunia ab invito quoque compensetur. *l. commodati. 7. §. 3. ff. commod.* absolum inde videtur, ullum laudemium pro investitura solvere. Attamen conjicere hic licebit, quod Vasalli, cum naturalem illam obligationem, quæ benefactoribus suis ad remunerationem jure naturæ adstringuntur, agnoscerent, voluerint aliquid pecuniæ pro investiturâ in Dominos conferre, quo animi gratitudinè contestarentur, Indeque tandem necessitatem, accedente consuetudine, factam esse, verisimile videtur, quod ipsum etiam innuit Schneidwin. *ibi: Daß mau auch von Ritter-Lehen/Lehen-waar gibt zur widergabe vnd widererkantnuß/der Gaben vnd Wohlthaten/so der Herr dem Lehen-mann mit belehnen beweiset / in epit. feud. p. 5. num. 6.* Ubi hoc etiam de nobilibus feudis pendi asserit, cum tamen alias laudemium magis in plebeis usu sit receptum, in nobilibus verò in ejus locum successerit exactio pro redimendo consensu, Consens vnd Lehengeld / Item, honoraria nomophylaceo debita, Sankteley gebürnuß für die Lehenbrieffe / attestatur Knich. *de pact. investit. p. 2. c. 4. num. 128. & 129.* Jung. Rosenth. *in synops. feud. c. 6. conclus. 66. num. 3.* Wehn. *observ. pr. lit. H. verb. Handlohn. Befold. thes. pract. ibid.* Carpzov. *in Jurispr. Rom. Sax. p. 2. const. 39. definit. 32.* Hartman. Pistor. *p. 1. quest. 50. num. 61.* Rudinger. *observat. pr. centur. 3. observat. 42.* Card. Tusc. *tom. 5. conclus. pract. conclus. 15. verb. laudemium.* Frantzck. *sep. d. tract. c. 4. num. 11.*

L II. Sequun-

LII. Sequuntur *bona censualia*, German. *Wawer-Erbgüter* / *Bona censualia.*
quæ à censu quotannis persolvendo ita sunt appellata. Dicitur autem census propriè à censendo, hoc est, æstimando, hincque olim censitores & censores à patrimonio vel moribus populi æstimandis appellati fuerunt. Eodemque modo patrimonium uniuscujusque, census dictum *l. cogi. 16. pr. ad Scutum Trebell.* ideo quod censeretur & æstimari consueverit, secundum institutum Servii Tullii, Sexti Romanorum Regis, qui divisò populo in sex Classes & 193. centurias, illum secundum patrimonium & ætatem censeretur fecit, in eum nimirum finem, ut scire posset, quantum quisque Reipubl. subvenire & tributum pendere posset, de quo latè Dion. Halicarn. *de antiq. Rom. lib. 4.* videri potest. Postea etiam hoc vocabulum ad ipsum tributum fuit accommodatum, quod aliquis patrimonii & possessionis suæ ratione, dare vel pendere posse æstimatum erat, *rub. & l. 2. C. sine cens. & rel. fund. compar. non poss.* quale interdum & capiti impositum, *l. ætatem. 3. ff. de cens.* latius illius significatio demum extensa fuit ad quamcunque pensionem, quæ vel ratione subjectionis, (quæque cum Episcopis tribuitur, specialiter nomine Cathedralium vocatur *Lancell. instit. J. Can. l. 2. t. 21. de cens. exact. & procur. pr.*) vel ratione foundationis *c. quoniam ext. de jur. patron.* vel aliarum causarum respectu penditur. *t. t. ext. de cens.*

LIII. Et sub hac significatione bona censualia nomen acceperunt, idque duplici ferè modo, nempe si Dominus vel conservet sive censum in bonis, quæ in alium transtulit, quem vulgò *conservativum* appellant, (qualia bona hùc suo modo pertinent, uti mox dicetur) vel si Dominus quidem non transfert bona, sed contrario modo retento sibi omni jure tam dominii directi quàm utilis, alteri censum in iis concedit, quem *consignativum*, vel *constitutivum* appellant, vocaturque alias, si per modum emtionis illud fiat, emtio reddituum German *Bültenfauff* / quæ quomodo in Imperio licita, vide Gail. 2. *obs. 7. num. 5. ibiq.* Græv. *conclus. 7.* Jung. fuse & eleganter de ea tractantem Molin. *de J. & J. tr. 2. disput. 385. & 389. & seqq. ubi bullam Pii V. Pontificis de tali contractu emissam explicat. add. infr. thes. 77.*

LIV. Cæte-

LIV. Cæterum censuaria bona, de quibus reservativus census præstatur, duplicem habent naturam. *Quædam enim ita transferuntur à concedente, ut simul dominium directum & utile transeat, ea saltem conditione, ut quot annis in memoriam pristini domini modica portio sive in fructibus sive in pecunia numerata solvatur.* Rittersh. part. feud. l. 1. c. 2. num. 8. & talis contractus etiam mentio fit in l. ultim. C. de permut. Sed in hisce bonis laudemium præstari, rationi non videtur consentaneum. Cum enim illud, tanquam naturalis effectus directi domini, propter ejus recognitionem & investituram, solvatur, *sæpè dict. l. ultim.* hic autem utrumque cesset, consentaneum est, si in ejusmodi casu laudemium petatur, illud contra juris rationem fieri, vide Lud. Molin. d. tr. disput. 381. num. 7. Alvar. Valasc. de Jur. emphyt. quest. 32. num. 32.

L V. Superest igitur, si hæc bona ad præsens subjectum velim accommodare, ut quædam à jam dictis diversam naturam habere statuam, ea verò sic describimus. *Quod sint bona, à Domino, directo dominio & omnibus juribus dominicalibus reservatis, ea lege concessa, ut pro iis annuus census præstetur, alias autem liberè sine ipsius consensu alienari & in alium transferri queant.* Et in talibus propriè laudemium peti pro investitura posse, ex ratione jam dicta planum est.

L VI. Quòd autem ejusmodi fundi censuales hodie adhuc inveniantur, & à superioribus omnino distinguendi veniant, uno atque altero argumento, præeunte Dn. Frantzio, d. tr. c. 10. num. 64. & seqq. evincere conabor. Et primò quidem notum est, talia bona plerumque à nobilibus rusticis esse concessa, & quidem de istiusmodi rebus, quæ ipsi in feudum tenuerunt. Cùm verò concedentes neque facultatem neque potestatem habuerint, directum dominium, aut omne suum jus in alium transferendi, oportet certè ea ita esse alienata, quemadmodum ex natura eorum & jure fieri potuit. Et quidem priscos Dominos nullam habuisse alienandi facultatem, ex naturali axiomate, neminem in alium plus posse transferre, quàm quod ipse habet, est notissimum. Quod si verò sufficere afferam, si concedens modò omne jus, quod in re concessa habet, reservato sibi saltem canone in memoriam domini trans-
tulit;

tulerit; tamen regeri poterit, quod potestas, quam vasallus in bonis feudalibus habet, adeo sit limitata, ut sine consensu Domini alienari omnino nequiverit, indubitati quippe est juris, vasallum feudum alienando illud amittere, *tr. tr. de prohib. feud. al. per Loth. & Frid. 2. Feud. 52. & 55.* Neque etiam tunc res erit expedita, etiamsi dicatur, Dominum initio consensisse, eo enim ipso respectus inter vasallum & Dominum, plane esset sublatus, cujus tamen contrarium usus & experientia testatur.

L VII. Quibus omnibus confectaneum videtur, nobiles vasallos olim hæc censualia bona ita rusticis concessisse, ut sibi adhuc aliquod jus, dominio directo simile, reservaverint, quemadmodum in subinfeudatione & subemphyteusis datione usu venire solet. Cui illud adhuc pondus addit, quod in iis investitura petatur, si enim dominium plenissime transiisset, eâ opus esse, dicere absurdum foret, cum ita jure sit constitutum, ut unusquisque rerum suarum sit arbiter, & liberriam de illis habeat, absq. alterius ullius respectu, disponendi potestatem *l. in re 21. ff. mand. Jung. Col. de proc. exec. p. 1. c. 10. n. 194. & Knich. d. tr. p. 2. c. 4. n. 262.*

L VIII. Sed ex jam dictis forsitan aliquis conjiciet, hæc bona ab emphyteuticis non re ipsa, sed nomine tenus, saltem differre, similemque plane habere cum his emphyteuticis naturam. Attamen qui eorum jura paulò penitius intuetur, illi differentias facile apprehendere licebit. Primo enim in emphyteusi retinetur dominium directum propter vim pacti, in hisce verò censualibus bonis propter rationem & conditionem rei feudalis, etiamsi talis conventio nunquam accesserit. Deinde in venditione emphyteusis, denunciatione opus est, dominusque jus protimiseos habet, in illis autem utrumque cessat. An verò in dubio pro emphyteuticis & censualibus bonis præsumatur, si de primordiali titulo non constet, de eo vide Dominum Frantz. cum distinctione hanc quæstionem dirimentem *d. tr. cap. 8. n. 82. & seqq.* Plura de alienatione & successione in bonis illis addere supersedeo, cum utraque secundum eundem modum fiat, ac si possessor plenum dominium haberet.

D

Bona libellaria.

LIX. Ordine ad bona libellaria jam progredior, dicuntur ea vel à libella, quæ nummum, aut ut alii parvam libram æris videtur significare (*Cic. in Verr. Ecquis, inquit, Volcatio si sua sponte venisset unam libellam dedisset,*) quod scilicet pro talibus bonis certi quotannis nummi sive libellæ pendantur, ut existimat Connan. l.7. comm. cap.12. num.12. add. Ritterhus. d. part. feud. l.1. cap.2. nu.7. Vel potius à libello, i. e. Scriptura sive Instrumento, c.1. §. si quis de prob. feud. al. per Loth.2. F. 52. quod in istis bonis constituendis omnino intervenire necessum est, 2.F.9. §. donare.2.

LX. Sunt autem ea bona, res quædam immobiles, alicui interveniente scriptura, sub certa annua pensione datæ, ab eo, qui utile dominium habet. Aliter ea describit Molin. d. F. & F. rr.2. d.10. n.10. eaq; in Lusitania Prazo de Prazo sive feudum de feudo appellari dicit. Gl. in Auth. ingressi C. de SS. Eccles. ea à precariis bonis concedi opinatur. Addit Cujacius l. F.2. quod ea lege constituentur, ut statò conditòque tempore, e.g. de lustro in lustrum, numerato rursus certo vel arbitrario pretio, contractus renovetur, cujus sententiã Doctores communiter sequuntur. Quomodo autem illud ex textu quodam feudali, vel aliàs ex historica fide probent, nondum hætenus vidi. Quicquid enim ex *Novell. Leon.13.* adducunt, commodius de precariis bonis intelligi posse, persuasum habeo.

LXI. Autumat quidem Dominus Tabor in *recitat. publ. ad tit. 5. l.1. Feud.* uti allegatur à Domino Biccio in *aur. suis Jur. civ. Cum milites, signa, per universam Europam transducta, passim sequi opus haberent, adeoq; agris suis adesse non possent, nec vendere tamen eos penitus auderent, locatio autem incommodior accideret, quod de tempore redditus incerti essent, opportunius visum fuisse, aliquid ex utroq; contractu mutuari, & tum acceptã certã pecuniã nec tamen equi valente, eos ad longum tempus vendere, tum, ne omne subsidium in senectute deficeret, pecunia parata per manus militares cito disfluente, annuas insuper pensiones pacisci, & post longum tempus, quo se reddituros fortè, aut honestam missionem imperaturos sperabant, veluti renovatæ emprionis, aliquod hostimentum vel autoramentum servare consuevisse. Hætenus Dominus Tabor. Verùm cum hæc omnia in conjectura saltem consistant, neq; melius rem ipsam demonstrent, ea in*

ea in medio relinquo. Mihi eorum opinio arridet, qui autu-
mant, illa initio vera emphyteutica bona fuisse, indeque libel-
laria vocata, quod tum temporis Doctores communiter scri-
pturam de substantia emphyteuseos esse statuerent, (quemad-
modum etiam *Ardizo vetustissimus feudorum interpret, allegatus à*
Frantzko cap. II. nu. 29. suis temporibus in multis Italiae locis,
praesertim Veronae, libellum pro contractu emphyteutico di-
ctum esse ait.) Postea verò consuetudine universali eorum na-
turam immutatam.

LXII. Simile quoddam Jus etiam in jure civili occurrit,
quod *colonarium* vocatur, cujus mentio fit, in *l. 7. C. de SS. Eccles.*
ubi Gothofr. lit. l. & παροικιστήν in Novell. 7. in pr. ubi Cujacius, &
illius etiam in Casiodori & Gregorii magni epistolis men-
tionem fieri dicit Rittersh. *d. l. 1. cap. 2. num. 7.* unde probare
nititur, etiam libellarium contractum tempore Justiniani jam
in usu fuisse. Quod tamen negare videtur Dominus Frantzko
cap. II. per t. & nihilominus inter libellaria civilia, & feudalia,
distinguit, quæ quomodo invicem sese habeant, mihi non li-
quet. Ejusmodi etiam bona in inferiore & superiore Saxonia
reperiuntur, quæ vulgò *Meyer-güter* & possessores eorū *Meyer*
vocantur, in quibus hoc usu receptum, sicque, ut plurimum,
lege conventionis observatur, ut possessor certo tempore pre-
tium pro renovatione possessionis solvat, quod *Meyern* appel-
lant, idem Frantzko. *d. c. n. II.*

LXIII. Nunc ad *Superficiem*, quam Jurisconsulti vocant, *Superficies.*
quicquid est super facie terræ, sive illud sint ædificia, sive ar-
bores & frutices, sive aliud aliquid, quod solo adhæret. Unde
ædes ex solo & superficie tanquam partibus constare dicun-
tur, *l. eum qui 23. ff. de usucap. l. solum 49. de R. V.* Superficiarius
autem is dicitur, qui in alieno solo domum aut aliud aliquid
exstructum, vel emptum, vel conductum, habet certâ pen-
sione Domino præstandâ, cui Prætor interdictum pollicetur
& in rem actionem *l. 73. cum 2. seqq. ff. de R. V. l. 1. & t. r. de superf.*
Jung. Rittersh. part. feud. l. 1. cap. 2. n. 16.

LXIV. Quando autem superficies locari aut vendi dicitur,
hoc agi intelligitur, ut non solum ipsum, sed suprema sal-
tem ipsius facies concedatur, ad hoc ut ibidem ædificare, aut



aliud aliquid agere liceat. Unde in effectu jus potius aliquod ædificium habendi locatur aut venditur, quæ ædificatio si insequatur, tamen si jure accessionis ædificium solo cedat, & ita in dominio venditoris & locatoris, jure civili & naturali reputetur, *l. f. ff. de superf.* nihilominus tamen, si tempus contractus inspiciatur, & superficies fictione quadam per se absque solo consideretur, superficiarius ipse superficiæ dominus censeatur, indeque ei in rem actio datur, *l. 1. §. 2. de superf.*

LXV. Et hoc quidem in emtione eò magis verum videtur, quod illa sit titulus habilis ad dominium transferendum. In locatione autem plus subest dubii, idque præsertim ob distinctionem, quæ à Jurisconsulto *in d. l. 1. §. 3.* adhibetur, utrum ea ad modicum, an verò ad non modicum tempus facta fuerit: unde multi Doctores ex locatione ad longum tempus transferri utile dominium, & speciem esse alienationis colligunt, uti videre licet, apud Mozzium *tr. de contract. c. de divis. locat. n. 7.* Francisc. Sarmient. *l. 3. selectar. interpret. num. 32. usq. ad fin.*

LXVI. Verum cum hoc contra naturam hujus contractus ita statuatur, *arg. l. non solet 39. ff. locat. l. non solum, §. 1. vers. cum hæc igitur ff. de usucap.* quàm ex temporis diurnitate mutari, rationi juris vix convenire arbitror: Idcirco potiore eorum sententiam duco, qui putant hanc locationem ideò in naturam veræ emtionis transire, quod materia ejus non in eodem statu maneat, sed omninò immutetur, quod cum sit, emtionem magis quàm locationem intelligi debere, dicit Javolenus *in l. convenit mihi 65. ff. de contrah. emt.* Inde etiam fieri existimo, quod Prætor non simpliciter actionem in rem competere velit, sed insuper causæ cognitionem requirat, ut nempe probè perspiciatur, num occupatio superficiæ & mutatio illius tanti sit, ut inde superficiarius pro Domino haberi possit. Cum interdum fieri queat, ut superficies conductæ non ita mutetur, quemadmodum in nundinis præsertim usu venit, quando casulæ & tabernulæ ad merces conservandas & vendendas exstruuntur & elocantur. Breve autem tempus propterea à Prætoe excluditur, quod nemo verisimiliter superficiem immutaturus ad modicum saltem tempus illam conducat.

cat. Conf. Anton. Fabr. de error. pragm. det. 64. err. ult. Connan.
l. 7. comment. Jur. civil. c. 12. num. 5. & 6. Lud. Molin. de J. & J.
tr. 2. d. 10. num. 12. & seqq. usq. ad fin. Jung. Alv. Valasc. de Jur.
emphyt. q. 33. n. 9.

LXVII. Atque ita superficie constituta, jam facile ex supra dictis intelligere licet, quomodo pro ea laudemium præstandum. Superest, ut ultimò locò pauca quoque de *Precariis* addam, quæ & huc aliquo modo, licet non ad eò propriè, referri possunt. Est autem *Precaria* sive *precaria* plur. num. nihil aliud, quàm cessio ususfructus rei ecclesiasticæ immobilis, ad certum tempus, gratis vel sub annua pensione eâ lege facta, ut singulis lustris solutò certò pretiò contractus renovetur c. 1. ext. de precar. Et hoc pretium pro renovatione solvendum, Leo Imp. in Novell. 13. ad duplum canonis restrinxit, idq; eic̄ *δελυγὼν* appellat, quod Doctores communiter laudemium vocant. Facta est verò talis concessio plerumq; ei, aut liberis ejus, qui ecclesiæ rem suam donavit, vel in ea re sola, vel etiam simul in aliis rebus ecclesiasticis. c. *precaria* 10. 9. 2. videturque nihil aliud esse, quàm ususfructus pactis certis informatus, l. *jubemus* 14. §. 5. C. de SS. Eccles. Jung. Rittersh. l. 1. feud. c. 2. n. 9. Dn. Bicc. in aur. Jur. civil. f. 2. §. 47. lit. y. Cujac. 1. f. 5. Quod si autem *precariæ* in perpetuum fuerint constitutæ, eas emphyteuseos naturam planè induere censet Molin. d. tr. 2. d. 298. n. 21. & d. 388. n. 3. Differunt tamen à precario, quod is, qui tali modo possidet, habeat tantum jus ad rem & quocunq; tempore revocabile. Ille autem, qui *precarias* tenet, jus in re, habet idq; non revocabile, nisi tempore præstituto elapso.

LXVIII. Hactenus de rebus satis superque actum, ordo me jam deducit ad requisita laudemiorum, quando nimirum & quoties ea solvenda. Circa quæ varius est Doctorum disensus. Sunt enim, qui statuunt ex simplici contractu, licet traditio non fuerit secuta, jus laudemii Domino esse fundatum. Indeque consuetudinem in quibusdam locis introductam esse, quod domini perant laudemium à suis clientibus, nō saltem si contraxerint, sed etiam si simplicem tractatum de re alienanda forsitan inter pocula fecerint, imò si postea ab alienatione recedant, interdum etiam duplicatum relevium exi-

Precaria.

Quando & quoties laudemium solvendum.



gere non vereantur, prout testantur. Wehn. *observ. pract. verb.*
Sandlohn/ & Andr. Knich. *de pact. invest. p. 2. cap. 4. num. 240.*
quod tamen illi maximè inter abusus recensent, & latè con-
tra talem consuetudinem disputat Anton. Fab. *de error. pragmat.*
dec. 95. err. 6. Alii non simplici consensu sed actuali demum
traditione, quæ fit inter contrahentes, laudemium deberi sta-
tuunt. Alii verò consensum domini in alienatione præstan-
dum causam laudemii putant, uti Sichard. *ad l. ult. C. de jur.*
emphyt. n. 32. ubi cautionem præscribit dominis, ut si consen-
tiant alienationi, protestentur se hoc facere salvo jure suo, ne
exinde laudemii remisio colligi queat.

LXIX. Verùm cum hæc omnia expressis verbis sæpè
d. l. ult. ibi: per depositionem, & paulò post, & ne avaritia tenti do-
mini, magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent. C. de J. em-
phyt. non convenient, & à Domino Frantzio, d. tr. c. 16. n. 422.
& passim alibi sint refutata, de illis plura dicere supersedeo.
Facio autem hic regulam, quod, *ubicunq; res alienatur, & investi-*
tura sit, laudemium sit præstandum. Hinc duo requisita resultant.
[1.] A parte emphyteutæ vel vasalli alienatio. [2.] A parte
domini investitura. Primò de alienatione agam.

1. Requisit.
Alienatio.

LXX. Alienationis verbum dupliciter accipitur, latè vel
strictè. Latè denotat quemcunque actum, per quem ex unius
patrimonio, aliquid in alterius transfertur, ita ut illud im-
minuatur, hoc verò augeatur, sive res ipsa sit, quæ transfer-
tur, sive jus saltem aliquod in illa re, ut penes priorem domi-
num jus principaliter maneat, ita accipitur *in l. ult. C. de reb.*
al. non alien.

LXXI. Strictè accipitur pro translatione omnis juris,
quod transferens in re habet, ita ut penes ipsum nihil reli-
quum maneat. Ita creditor, qui jus pignoris, quod in re pi-
gnoratâ habet, in alium transfert, hac significatione, illud alie-
nare dicitur. Debitor autem, qui pignus in re propria credito-
ri constituit ad securitatem debiti, strictè sumpto vocabulo,
rem non alienat, cum adhuc proprietas penes ipsum maneat.
Ita dominus etiam, qui omne dominium in alium transfert,
proprie alienat rem. *l. 1. vers. est autem alienatio C. de fund. dot.*
Jung.

Jung. Molin. *de J. & F. tom. 2. d. 464.* Secus est, si emphyteusin constituat, retentò sibi dominiò directò.

LXXII. Et in hac significatione alienationem hic sumimus, diciturque pro subjecta materia, alienare is, qui utile dominium, quod in re habet, planè à se abdicat, & in alium transfert. Oportet igitur, ut ille, qui alienat, habeat dominium utile in re constitutum, neque sufficit, si illi jus tale sit promissum, cum tale jus ad rem, habile alienationis subjectum non sit.

LXXIII. Cæterùm, utrum dominium in directum & utile rectè dividatur, multis rationibus probare, non est hujus loci, videatur imprimis Frantz. *d. tr. c. 4. n. 8. & seqq.* qui affirmativam tuetur, & contrarias Doctorum opiniones refellit. Illud saltem addo, quod utrumque dominium sub proprietatis nomine non absurdè comprehendatur, uti illud probat Bened. Bonius *tr. de censib. allegatus à Domino Hahn. in animadv. ad Diss. Sutholt. an. 4. in f.* Vocatur autem dominium directum Germ. das Ober: Mehrer: oder Grund-eygenthumb. Utile verò: das Minder: oder Nutzbar-eygenthumb.

LXXIV. Atque ex hisce jam dictis facile apparet, quod neque dominus directus primitus rem suam in feudum concedens, neque emphyteuta aut vasallus, subemphyteusin aut subfeudum constituens, laudemium possit exigere, cum neuter horum, rem verè alienet, sed adhuc aliquod jus sibi retineat. Eodem modo si emphyteuta fundum emphyteuticum pignori obliget, vel usumfructum ejus constituat, dominus laudemii jus fundatum nondum habebit, cum vera alienatio non intercesserit. vid. Coler. *de process. exec. p. 2. c. 3. n. 285.* Anton. Fab. *in Cod. suo tit. de Fur. emph. def. 60. 67. & 74. & de error. pragm. d. 100. err. 6.*

LXXV. Quod si verò creditor pignus alienet, distinguendum erit, inter jus pignoris, & rem ipsam, quæ pignori data est. Illud liberè & proprio nomine à creditore alienari potest, neq; ille, ad quem id transfertur, ad relevii præstationem domino directo tenetur, cum prior creditor nullum tale jus in re habuerit, de quo illud præstandum erat, & per consequentiam nec illud transferre potuerit, per vulgata, neminem in al-

terum

terum plus posse transferre, quàm ipse habeat, *l. nemo § 4. de R. J.*
Posteriori casu, Juris quidem indubitati est, creditorem ipsum
pignus, nisi debitor solvere velit, secundùm præscriptam for-
mam in *l. creditor 4. C. de distr. pign. & l. ult. C. de jur. dom. impetr.*
vendere & distrahere posse, indeq; omne jus, quod debitor in
re illa, quæ pignori erat data, habet, transferri, *argum. l. qui à
creditore 18. C. de distr. pign. neque id debitorem impedire pos-
se, t. t. C. debit. vend. pign. imp. non poss.* Attamen illud non ex
propria persona, sed procuratorio potiùs nomine debitoris, fa-
cit, *argum. §. contra 2. J. quib. al. lic. vel non.* indeque esse videtur,
quod evictionem non præstet, *l. si a credit. 2. & rubr. C. credit.
evict. pign. non deb.* Cui consecutaneum, cum ita creditor in em-
torem omne jus, quod debitor in eo habebat, transferat, illum
etiam ad laudemium solvendum teneri. Eodemque modo
res sese habet, si non creditor ipse, sed judex eo postulante pi-
gnus vendi curet, cum factum judicis reputetur, jure nostro,
factum partis, *l. si ob causam 13. C. de evict. l. res ob causam 1. C. si in
caus. jud. pign. capt. sit.* Jung. Frantzk. *c. 14. n. 78. & 79.*

LXXVI. Quid si autem emphyteuta utile dominium
quidem transferat, sed usumfructum sibi conservet, an etiam
tunc omne jus alienasse dicetur? affirmandum illud esse, ra-
tioni magis videtur consentaneum. Etiam si enim usufru-
ctus dicatur pars domini *l. 4. ff. de usufr.* tamen illud de causa-
li intelligendum esse, communiter Doctores asserunt, de quo,
cum hic sermo non sit, sed de formali potius, quæ pars non est
l. 25. ff. de V. S. ubi Gædd. nihil quoque obstabit lex illa, sed per
talem concessionem omne jus in emptorem fuisse translatum,
statuendum erit, qui postea ex pacto initio contractui adje-
cto, quasi brevi manu usumfructum constituti, & ita si à neu-
tra parte vera traditio facta fuerit, tamen eò modo facta vide-
bitur, quemadmodum constitutum possessorium fieri consue-
vit *argum. l. 18. ff. de acquir. vel omitt. poss. Junct. S. interdum 43.
J. de A. R. D.*

LXXVII. Et hæc quidem in usufructu ita sese habent,
sed si in rebus emphyteuticis annui reditus fuerint constituti,
an & tunc emphyteusis alienata intelligatur, res aliquanto in-
tricatior est. Quod ut plenius exponam, annuos reditus du-
plices

plures facio cum Ludov. Molin. d. f. & f. tom. i. tr. 2. diff. 381. reservativos & consignativos: Reservativi dicuntur illi, qui à domino rem suam planè alienante, vel ex fructibus prædii alienati, vel ex pecunia sibi annuatim præstanda reservantur, quemadmodum fit in bonis censiticis, uti illa communiter æstimantur, & supra thes. 53. expositum, vid. c. constitutus 6. extr. de relig. dom. Et hoc casu laudemium deberi, non quidem ob redditus reservationem, sed ob rei potius alienationem, extra omne dubium pono.

LXXVIII. *Consignativi vel impositivi* redditus, vel sunt Personales, vel reales, vel mixti. Personales aliàs volatiles dicuntur, qui super sola obligatione personali debitoris, absque ulla bonorum assignatione sunt constituti. Reales dicuntur, qui rebus imponuntur, atque ex iis præcisè debentur, unde re peremta, ipsi etiam pereunt. Mixti vocantur, qui & super obligatione personali & rei hypothecatione sunt fundati, de quorum omnium effectibus distinctim & eleganter tractat Lud. Molin. d. l. diff. 383. per tot. Nos quoad nostrum subjectum, in redditibus personalibus & mixtis, nullam talem alienationem intercedere putamus, de qua laudemium præstandum veniat. Quod eodem modo in realibus etiam, sive in prima constitutione, sive posteriore venditione, sese habere, videbo, an defendere possim contra Dn. Frantz. c. 17. n. 53. & seqq.

LXXIX. Ex hisce jam dictis satis apparere autumo, qualis alienatio hic requiratur. Quæ ut omnibus suis numeris absoluta sit, oportet ut ex titulo particulari, habili & valido, traditione perfecta fuerit. Titulus hic est causa, propter quam traditio fit, quam particularem hic requiro, quia eatenus saltem investitura opus est, uti postea th. 131. liquebit, quæ fit, quoties res relinquatur sine universitate juris, ita quidem, ut jura seu actiones, neque activè neque passivè (uti in successione, quæ idèò titulo universali perficitur) transeant, vid. Suth. diff. 10. thes. 4.

LXXX. Notanter autem dixi, titulum habilem & validum esse debere, quæ omninò conjungenda, nam si unum deficiat, alienatio perfecta reputari nequit, l. nunquam nuda. 31. pr. ff. de A. R. D. Habilis titulus est, per quem dominium utile

transfertur, ut, emptio, venditio, donatio, &c. Hinc excludo locationem, conductionem, etiam si ad longum tempus sit facta, cum per illam nullum jus in re transferatur, aut si aliquid transfertur, illud non res ipsa sed fructus saltem sunt. vid. Fab. de error. pragm. d. 100. err. 5. Jung. Frantzk. c. 15. n. 2. usq; ad n. 36. Diff. Alvar. Valasc. de jur. empb. q. 29. n. 28. Qui tamen fatetur, n. 16. qu. ead. si velimus strictè disputare, ex locatione ad longum tempus laudemium non deberi.

LXXXI. Ita etiam transactio ex sua natura titulus habilis dici nequit, cum per eam nullum dominium neque jus in re transferatur, sed sola liberatio controversiæ & rei dubiæ decisio fiat, ut est text. in l. si heres 3. §. sed etsi 1. ff. ad L. Falc. l. 1. ff. de transact. Ideoq; per se non inferat dominii translationem. Et si dominus eum, qui fundum ex transactione obtinuit, vellet ad investituram cogere, intentio ipsius non esset fundata, cum non sequatur, transegisti, ergo dominium accepisti. Sed probandum domino foret, dominium per illam transactionem ipsi fuisse concessum, & quod illud antea non habuerit, quod si fecerit, omninò erit audiendus. Ita Molin. ad consuet. Paris. c. 1. §. 33. gl. 1. n. 67. allegat. ab Hartm. Pift. p. 1. q. 50. num. 58. & novissimè Frantzk. cap. 21. num. 16. Jung. Besold. in thes. pr. verb. Handlohn vers. solvitur.

LXXXII. Validum titulum dico, quando e.g. legatum legitimè relictum, est præstandum, vel inter vivos contractus jure subsistit, neque eliditur, quod fieri potest, vel per exceptionem doli metusve, & similem, vel per nullitatem; idque vel ratione causæ efficientis, si nimirum consensus in contractu deficiat, qui consistit in intellectu rei gerendæ, & voluntate, quomodo pupillus infans, furiosus, prodigus contrahere nequeunt, vel ratione causæ materialis, quando res in contractum deducta, quæ commercio hominum exempta, aut cui certa aut solennis forma in contrahendo præscripta, uti res pupillares, ecclesiasticæ, & emphyteusis in d. l. ult. quæ cum non fuit observata, contractus corrumpitur.

LXXXIII. Denique traditione alienatio perficitur; nam traditionibus & usucap. dominia rerum transferantur, non verò nudis pactis l. 20. C. de pact. Indeque in omnibus juribus
in re

in re, circa acquisitionem, promissio & constitutio exactè distinguenda. Promissio enim fit pactis, stipulationibus, & aliis contractibus. Constitutio autem fit traditione vel quasi, & ex ea saltem jus in re perficitur, cum ex promissione nihil aliud quàm jus ad rem oriatur, tanquam præparatorium ad jus in re perficiendum. Ita hæc actionem personalem, illa verò realem producit: de qua differentia vid. omnino Henr. Hahn.

Præceptorem quondam meum plurimum honorandum, in animadv. ad disp. Sutholt. disp. 5. an. 1. ubi hæc latius persequitur.

LXXXIV. Est autem traditio vel vera, de qua in §. per traditionem 41. l. de R. D. vel ficta, quæ per fictionem brevis manus fit, de qua §. interdum 43. & seq. l. eod. l. singularia 13. de reb. credit. quæ interpretatione juris, locò veræ traditionis est, l. 1. §. penult. l. 18. §. 2. l. 51. ff. de acquir. poss. l. 1. C. de don. Jung. Sutholt. diff. 4. §. 32. & seq. Illud adhuc notandum, huc etiam referri posse acquisitiones illas juris civilis, ubi dominium sine traditione transfertur, qualis est donatio propter nuptias, quæ in mulierem ita transfertur, §. 3. l. de donat. ubi Schneidevv. indeque est, quod mulier eam vindicare potest l. 29. & auth. seq. C. de jur. dot. Novell. 61. c. 1. Novell. 97. c. 1. §. 1. Jung. Dn. Hahn. ad Sutholt. dissert. 6. anim. 5. & Frantzk. ad Inst. exerc. 5. q. 8. num. 181. Rittersh. p. 5. Nov. c. 1. n. 10. & II.

LXXXV. Sed etiamsi ita quidem alienatio omnibus suis numeris absoluta sit, interdum tamen fit, ut ea rescindatur, quo casu cum non semper uno eodemque modo laudemium exinde præstetur, hic distinctione opus erit. Sciendum ergo, alienationem sive contractum rescindi posse dupliciter; vel ex nunc, vel ex tunc, uti loquuntur Doctores, vid. Paul. de Cast. in l. f. §. sed quia vers. dic. C. comm. de legat. Hoc modo, sive ex tunc dicitur alienatio resolvi, quando ea ad non causam reducitur & planè revocatur, ita ut fructus omnes percepti simul restituantur, quod vera nota est, causam ipsam esse sublata, & ita ejus effectus tollitur, & laudemium peti nequit. Illo modo sive ex nunc retractatur alienatio, si illa quidem non ex præterito revocatur, sed saltem ex præsentis, ita ut fructus percepti non restituantur, quemadmodum in donationis, ob in-



gratitudinem, & iupervenientiam liberorum, revocatione, usu venit: cum enim tunc usq; ad tempus revocationis contractus & alienatio valida fuerit, laudemium, tanquam ex causa præexistente & æquitate suadente, *argum. l. usufruct. 7. §. hætenus ff. de usufr.* debetur. Cum enim prior possessor fructus perceperit, indeque habeat, unde damnum laudemii resarcire possit, injustè illud solvere recusaret. Quod aded æquitate nititur, ut, etiamsi alienatio ipso jure nulla, possessor tamen de facto fructus non restituat, propter illud commodum perceptum ad laudemium teneatur, vide Dn. Frantz. *c. 14. n. 141. Hartm. Pist. q. 50. n. 46.*

LXXXVI. Cæterùm rescinditur alienatio, & ad non causam redigitur, [1.] per pactum initio contractui adjectum, quo ad nostrum subjectum, non verò per tale, quod ex post facto fuit appositum, cum illud pars ejus non sit, neque inde jus tertii ex priore contractu quæsitum auferri possit, Hartm. *Pist. d. q. 50. n. 24.* nisi illud aliquando ex interpretatione bonæ fidei admittatur, ut in *l. ab emtione § 8. ff. de pact. l. 1. C. quando lic. ab emt. deced.* Quomodo autem per tale pactum alienatio ad non causam redigatur, & planè resolvatur, paulò altius & distinctius erit tradendum.

LXXXVII. Quod ut melius fiat, distinguo, aut pactum adjectum neque contractum, neque traditionem aut translationem dominii afficit, sed tantum obligationem in futurum operatur *d. l. § 8. ff. de pact.* Et hoc modo contractus planè non rescinditur, sed pro duplici contractu habetur, indeq; duplex est laudemium præstandum. Tale est pactum de retrovendendo, ubi non illud actum, ut à priore contractu recedatur, sed nova est obligatio constituta, ut novus contractus in retrovendendo fieret, de quo postea, ubi de emtione in specie tractabimus, plura dicenda.

LXXXVIII. Aut pactum afficit conventionem, non verò traditionem aut translationem dominii, habetque effectum, ut postea contractus distrahatur, ab eoque discedatur, fructus autem penes primum acquirentem maneat, vi nimirum dominii, cujus translatio firma fuit, ut in casu *d. l. ab emtione § 8. vers. Aristoni ff. de pact. l. dotis fructus 7. §. si res. 3. ff. de jur. dot.*

jur. dot. Et hoc modo contractus *ex nunc* rescinditur, indeque secundum ea, quæ supra th. 85. dicta laudemium debetur, sed tamen non uti superiori casu duplum, sed unum saltem præstandum erit, cū non tam novus postea contractus celebretur, quàm prior distrahatur, quod ex bonæ fidei interpretatione patribus indultum, teste Neratio *in d. l. 58.* quod quomodo fiat, latè explicat Bachov. *cont. Fabr. in exerc. 95. cap. 8.* Jung. Frantzk. *cap. 5. nu. 74.* Harm. Pist. *q. 50. n. 35.* Et ita quidem ex subtilitate juris res decidenda foret; & possent contrahentes, ad evitandam duplicem laudemii præstationem hanc cautionem adhibere, ut nimirum pacta ineant de distrahendo & recedendo à contractu, non verò de retrovendendo. Verùm cum tales cautiones in circumventionem juris, & domini directi præjudiciū vergant, prudenti judici, quomodo in talibus procedendum sit, dijudicandum erit, qui habito respectu temporis, quo contractus duraverit, & fructuum interea perceptorum, num simplex aut duplex laudemium solvendum sit, arbitrabitur, ne aut dominus aut contrahentes nimio damno afficiantur, vid. Knich. *de pact. invest. p. 2. c. 4. n. 238. & 239.*

LXXXIX. Aut denique pactum & contractum, & translationem ipsam domini, afficit, & hoc casu saltem alienatio *ex tunc* rescinditur, & ad non causam redigitur, neque laudemium ullum debetur. Quemadmodum illud fit in conditione resolutive, cujus vis & natura est, ut si existat, ita alienationem resolvat, quasi nihil antea actum fuerit, & nullum dominium translatum, exemplum est, in l. commissoria, & in diei additione, l. 4. C. de pact. int. emt. & vend. vid. Bacchov. *in not. ad Wesemb. π. t. de in diem add. & Frantzk. c. 17. n. 118.*

XC. [2.] Rescinditur contractus per restitutionem in integrum, quæ dupliciter fieri consuevit, vel per modum gratiæ & indulgentiæ Principis, quæ non ad eò integra sed strictius interpretanda, ne tertio alicui in jure quæsito præjudicet, nisi alia causa, puta pacis aut utilitatis publicæ, concurrat, vide Sfort. Oddo. *de restit. in integ. p. 2. q. 26. art. 4. per tot.* Cui consentaneum videtur, in tali casu laudemium omninò deberi.

XCI. Vel fit per modum justitiæ, ubi quis ex mera justiti-



ria, puta aduersus injustam condemnationem, aut ex causa iure speciali debita in pristinum statum reponitur, uti fit, si aliquis propter ætatem, vel justum metum, vel absentiam, vel errorem, vel dolum, vel alio ex capite restituatur. Atq; in eiusmodi restitutione, cum sit efficacior & perfectior, non erit præstandum laudemium, alienatio enim talis omnino *ex tunc* rescinditur, *argum. l. videamus. 38. §. Faviana 4. ff. de usur. Hartm. Pist. q. 50. n. 43.*

XCII. Quod si tamen restitutio propter *dolum* fiat, distinguendum arbitror, inter eum qui dolo est deceptus, & eum qui dolum commisit. Ille & aduersus dominum de laudemio agentem rectè excipiet, & solutum repetet. Hic verò non item, quia propriam allegans turpitudinem non audiretur, ne se in dolo fundare posset, *l. transactione 30. C. de transact. l. si debitoribus 5. C. de serv. pignor. dat. manum. l. apud Cels. 4. §. 13. ff. de dol. mal. & met. except.* Quod si non proprio motu dolum suum alleget, sed ab alio fraus fuerit detecta, & exinde contractus nullus declaratus, tunc ipse, qui dolum commisit, excipiendo quod contractus ob dolum fuerit rescissus, audietur, *arg. l. antepenult. ff. de suspect. tutor.* ubi ille qui remotus ut suspectus potest hoc allegare ad defendendum sese ab actione tutelæ. *Jung. Frantzk. d. c. 14. n. 169. & seqq.*

XCIII. Huc etiam refero, si alienatio ex beneficio *l. 2. C. de resc. vend.* rescissa fuerit, quod etiam speciem quandam restitutionis in integrum esse Doctores communiter asserunt, vid. *Covarruv. tom. 1. var. vesol. cap. 3. num. 9.* Indeque concludo alienationem eo casu omnino *ex tunc* rescindi. *Hartm. Pist. l. 1. q. 50. n. 44.* Cujus verum indicium esse, si fructus omnes vi rescissionis restituantur, supra th. 85. monitum. Quod utrum hic etiam locum habeat? inter Doctores non satis convenit, vid. *Mynsing. cent. 4. observ. 73. Fachin. l. 1. contron. 24.* Mihi tamen affirmativa juri convenientior videtur, tum quod hoc beneficium uti dictum, sit restitutio quædam, quæ communiter fructuum etiam restitutionem operari consuevit, *argum. l. videamus 34. §. 4. de usur. l. indebita 25. l. in summa 65. §. 5. ff. de condict. indeb.* tum etiam, quod causa rescissionis sit vetustior, quàm perceptio fructuum, ob quam rationem pignus medio tempore

tempore contractum resolvi communiter Doctores asserunt,
Fachin. d. controv. 24. & Card Mantica de tacit. & amb. convent.
p. 633. Quod si verò fructus retinentur in casu d. l. 2. hoc potius
jure compensationis, quàm jure proprio, quod in re substitit,
fieri dicendum erit, ex speciali ratione & æquitate in emtione
& venditione introducta, ut fructus rei venditæ cum usuris
compensentur. l. 2. C. de usur. l. debet 27. ff. de edil. ed. Indeque
æquitati magis consona sententia Græcorum videtur, quos
refert Harmenop. l. 3. promptuarii tit. 3. n. 82. & seqq. citatus à
Domino Frantzio, cap. 14. num. 296. ut fructus percepti, in
casu hoc, in tantum retineri debeant, in quantum inter pre-
tium & rem venditam proportio est, reliquum verò restitua-
tur argum. l. idem Pomponius 5. de R. V. l. intra utile 39. §. vendenti-
bus 1. de minor.

X C I V. Verùm cum hoc beneficium l. 2. tantum condi-
tionale sit, si emtor nimirum nolit reliquum justii pretii adde-
re, & tum demum effectum habeat, si illa conditio existat, in-
de etiam eo saltem casu laudemium non erit præstandum.
Conditione verò non existente, & alienatione non rescissâ,
non saltem de eo pretio, quod in inirio contractus ab emtore
est datum, sed de eo etiam, quod postea ad justum pretium
supplendum addidit, dominus laudemium jure petere po-
test, cum utrumque ad veram rei alienatæ æstimationem per-
tineat. Et vice versa etiam, si emtor ad rescindendam vendi-
tionem agat, & venditor de pretio usque ad justum rei valo-
rem aliquid restituat, dominus etiam eatenus laudemium red-
dere tenebitur. arg. l. ult. C. de jur. emph.

X C V. Porro ad restitutionis speciem etiam referri potest
actio redhibitoria, ex ædilitio edicto l. cum autem 23. §. Julianus
ait 7. ff. de edil. edict. cum in eam omnes fructus restituendi
veniant d. l. 23. §. 9. l. quod si nolit 31. §. 3. & §. 19. eod. Et acces-
siones. l. proinde 33. eod. Quocirca nec eo casu laudemium præ-
standum erit.

X C V I. [3.] Rescinditur contractus sive alienatio per
evictionem, ubi tamen distinguendum, num res à bonæ f. an
verò à m. f. possessore evincatur. Priori casu laudemium est
præstandum, quia hoc modo alienatio ad non causam non
planè

planè reducitur, sed bona fides, tanquam causa juris & quasi dominii, quod talis possessor in re illa acquisivit, rescindi nequit, ex quo fit, ut fructus omnes consumptos suos faciat, etiamsi inde locupletior factus sit, modo in bona fuerit fide, perceptionis tempore *l. 22. C. de R. V. l. 48. de acquir. dom. l. 136. d. R. J.* uti latè deducit Dn. Frantzck. *in exerc. suis ad Inst. ex. 4. q. 9. per tot. Hartm. Pist. d. q. 50. n. 45.*

XC VII. Posteriori casu malæ fidei possessor, ad laudemium præstandum non tenetur, tum quod planè talis contractus ad non causam redigatur, tum verò maximè, quod nullos fructus suos faciat, unde possit damnum compensare, id quod iniquitatem saperet, arg. *l. 206. de R. J.* Neque officit, quod sibi debeat imputare, quod ita sciens rem alienam sibi comparaverit, argum. eorum quæ de dolo jam thes. 92. dixi. Quid si vero solverit laudemium? indebiti conditionem non habebit, quia sciens videtur solvisse, *l. si non sortem 26. §. indebitum 3. de cond. indeb.*

XC VIII. Et hæc etiam tunc procedunt, si res saltem pro dimidia parte evincatur, quia tunc tota alienatio rescissa intelligitur, & propterea neque laudemium pro dimidia parte debetur, cum nemo contractum pro parte agnoscere, & pro parte ab eodem discedere teneatur. *l. 1. de resc. vend. l. cum quaeritur. 16. de adm. tut.*

XC IX. Hæc in genere de alienatione dicta sunt, jam ad species pergendum est. Est autem alienatio *vel necessaria vel voluntaria.* Voluntaria, dicitur cujus principium in nobis est, & quam proprio motu facimus. Necessaria, cujus principium non provenit ex facto nostro, sed aliunde. Atq; hoc fit, *vel fato*, quâdo id contingit, quod nullo consilio humano evitari potest, *l. non utiq; 2. §. 7. de admin. rer. ad civit. pertin. Vel naturâ*, quando naturâ ad id impellimur, ut: si victus, amictusq; ratione rem distrahere cogimur, vel *lege*, quando lex id jubet propter utilitatem publicam, uti in *l. si quis sepulchrum 12. de vel. & sumpt. fun. l. si ut proponis 4. C. de adif. priv. l. item si verberatum 15. §. 1. de R. V.* Atque ex hisce patet per principium me hic intelligere causam ipsam, propter quam fit alienatio. Hinc fieri potest, ut alienatio coacta interdum non sit necessaria, quemadmodum,

admodum, quando pignora, vel res aliæ, mandato iudicis, sub
hastâ venduntur, ob tale aliquod debitum, quod debitor suo
spontaneo facto contraxerat. *argum. l. interdum 36. §. 1. in f. ibi:*
cum sua sponte sibi heres obligationem contraxerit. ff. de jud. l. si fide
jussor. 7. §. 1. in f. ibi: ipse sibi necessitatem satisfactionis imposuit. ff.
qui satisd. cog. Jung. Hartm. Pist. d. qu. 50. n. 26.

C. Et quidem Doctores communiter tenent, legem de
alienatione loquentem intelligi debere, de alienatione volun-
taria, non verò necessaria, *arg. l. interdum 1. ff. de fund. dot. l.*
alienationes 13. ff. fam. ercisc. Unde inferunt, etiam ea, quæ de
laudemiis disposita inveniuntur, ad alienationem volunta-
riam esse restringenda, ita Hartm. Pist. *d. qu. 50. n. 53. Befold.*
in th. pr. verb. Handlohn. cum ibi allegat. Attamen si hæc paulò
accuratius consideraverimus, vix subsistere posse facile depre-
hendemus. Cum enim hoc jus domino ob investituram com-
petat, quam & in necessaria alienatione intervenire necessum
est, etiam in ea laudemium præstandum erit. Deinde, cum id
non ab alienatore, sed à novo acquirentè sive emtore, solvi de-
beat, (à cujus latere ullam necessitatem intercessisse, ne qui-
dem fingi poterit, cum nemo contrahere cogatur. *l. sicut 5. C.*
de O. & A. l. nec emere 16. C. de jur. delib.) Unde emtorem, ejus-
modi alienationis, necessitatem prætere certè absurdum
foret; Idque eo magis, quod nullam aliam rationem habeat,
quâ possit justè conqueri, cum semper tanto minus in pretio
promittere soleat & possit, quanto certius est onus laudemii
sibi incumbere, vid. latè Anton. Fab. *de error. pragm. dec. 98.*
er. 3. & Dn. Frantz. cap. 16. num. 10. & seqq. Verùm cum inter-
dum consuetudine introductum (uti supra thes. 35. dictum)
ut venditor laudemium præstet, tali casu mitius cum illo
agendum esse, præsertim si utilitate & necessitate publicâ
rem distraxerit, censet Chopp. *l. 3. de doman. Franc. c. 25. art. 4.*

CI. Dividitur aliò modò alienatio in eam, quæ per titu-
lum onerosum fit, qualis emtio venditio, permutatio & similes,
vel per titulum lucrativum qualis donatio, legatum, &c. de qui-
bus singulis speciatim agendum erit.

CII. Primò sese emtio venditio offert, quæ est contractus *Emtio ven-*
consensualis, de re emtori tradendâ & pretiò in pecuniâ nu- *ditio.*

numeratâ venditori dandô. *pr. l. de emt. vendit.* Quoad nostrum
subjectum, ego ipsam actualem traditionem ex emtione factam
intelligo, nam eatenus hîc de tali contractu ago, quatenus
per eam res alienata dicitur, quod per traditionem demum
fieri ex thes. 83. supra constat, Jung. *l. alienatum 67. ff. de V. S. c. 1.*
S. callidus de prohib. feud. al. per Frid. 2. F. 55.

*Retractus
conventio-
nalis.*

CIII. Cum autem sæpè hic contractus pactionibus so-
leat informari, quæ pro sua variatione, etiam laudemii præ-
stationem variant, paucis de illis quoq; loquendum erit. Ta-
le est [1.] *Pactum de redimendo, sive retractus conventionalis*, quan-
do ita conventum est inter contrahentes, ut venditor quando-
cunque ipsi libitum fuerit, vel usque ad certum tempus, rem
venditam redimere possit. De quo quidem, cum initio prior
emtio omnibus numeris perfecta & absoluta fuerit, certissi-
mum est, primum emtorem omninò ad laudemium teneri.
Cum verò postea res redimitur, an & tunc laudemium debeat-
ur, quæstionis est? Nos illud affirmandum censemus, quia
& tunc vera fit alienatio, & translatio dominii, & novâ inve-
stiturâ opus est: Also dasß der Widerkäuffer muß die Lehen vera-
neweren / vnd derowegen Lehenrechten uti loquitur Knich. *de
pact. invest. d. p. 2. cap. 4. n. 219.* Si enim emtor primo venditori
rem revendere debet, utique eam tanquam dominus vendit,
rem enim propriam primus venditor emere non potest, *l. si
venditor 14. §. sed & si pupillus 3. vers. de in diem addict. l. neq; pignus
45. de R. l. quod in tantum verum est, ut nec pecunia oblata,
venditor in rem agere, & à tertio, in quem medio tempore
res alienata est, vindicare possit l. 2. C. de pact. in emt & vendit.
add. Gail. 2. obs. 13. Minfing. 6. obs. 60. Jung. Anton. Fab. in Cod.
de jur. emphyt. def. 30. n. 20. & 21. Wehn. in obs. pr. verb. Hand-
lohn. Befold. in thes. pr. verb. eod. vers. item ex venditione. Diss.
Hartm. Pistor. d. qu. 50. n. 22. cum ibi alleg. & Dn. Carpz. in Juris-
prud. Rom. Sax. p. 2. const. 1. def. 23. In quibusdam tamen locis
consuetudine receptum est, ut laudemium dividatur, unum-
que medium venditionis, alterum redemptionis tempore sol-
vatur, uti de Sabaudia refert Anton. Fab. *de error. pragm. dec. 10.
err. 3. n. 11.* & de Barcinona Knich. *d. l. n. 230. allegans Solson. in
Lucern. laudem. cell. 10. n. 22.**

CIV. Et

CIV. Et hæc quidem ita sese habent in retractu conven- *Jus protimi-*
tionali, diversum verò omnino statuendum in jure protimi- *seos.*
seos consuetudinario. Quod quidem generaliter in l. 14. C. de
contrah. empt. olim reprobatur fuit, hodie verò ex constitutio-
ne Friderici de jure protimiseos, & præcipuè legibus municipi-
palibus in usum est reductum, adeoq; in feudis, etiam agnatis
competit, uti multis rationibus probat Hartm. Pist. l. 2. qu. 6.
per c. 1. de al. feud. pat. 2. F. 39. Etiam si verò ibi quoque videatur,
duplicem emtionem intercedere, prior respectu illius, qui
primò rem emit, & altera ejus, qui rem retrahit, attamen, cum
hoc casu prior contractus saltem in alterius personam transfe-
ratur, ideoque perinde sit, ac si retrahens immediate ab ipso
venditore emisset, ita ut prior emtor omnes etiam fructus in-
terim perceptos restituere teneatur, juxta ea, quæ tradit Molin.
de Just. & J. tr. 2. d. 171. nu. 14. ex eo satis apparet, unicum sal-
tem laudemium esse præstandum, vid. Hartm. Pistor. qu. 50.
n. 10. & seq.

C V. Ex quo etiam facile decidi poterit illa quæstio: Si
dominus directus primò rem emerit, & postea consanguineus
vel alius, cui jus illud competit, retrahat ipsam, utrum laude-
mium solvendum. Si enim concedamus priorem emtionem
esse perfectam, utrumque dominium confusum erit, *arg. l. si*
commun. 27. de serv. rust. præd. neq; postea à privatione ad habi-
tum regressus dabitur, quo ipso jus laudemii petendi etiam
peribit. Quod si autem emtionem ex retractu factò, aut negle-
cto, vires suas capere dicamus, laudemium dominus non per-
det. Et hoc verum existimo.

C VI. Porro emtio venditio adhuc aliis solet pactis infor-
mari; qualia sunt, *Pactum legis commissoriae & additionis in diem.*
Illud fit, cum res quidem ab initio purè transfertur, sed tamen
ea conditione, ut si intra certum tempus pretium non solva-
tur, ea in emta esse debeat l. 2. ff. de l. commiss. Hoc verò fit, cum
res traditur eâ lege, ut si quis intra certum tempus meliorem
conditionem attulerit, liceat venditori ex posteriori vendi-
tione rem addicere, nisi prior emtor paratus sit plus adjicere,
l. 7. de in diem add. Utraque hæc emtio initio pura est, & post-
ea existente conditione resolvitur, ita ut planè nihil actum

*Lex com-
missoria sic
additio in
diem.*

*non habet
effectum
additio in
diem*



cenſeatur, & res ipſo jure ad venditorem redeat, eamque vindicare poſſit cum omnibus fructibus, *l. commiſſoria 4. C. de pact. int. emt. & vend.* ideoque ex iis laudemium non debetur, ſecundum ea, quæ latius ſupra th. 85. deduxi. Differunt autem pacta hæc à pacto retrovenditionis, quod in hoc ipſo jure contractus non reſolvatur, ſed aliud adhuc factum, nempe retrovenditio & redemptio requiratur, indeque fit, quod prior emtor fructus interea perceptos lucretur, ita ut per hoc retrovenditionis pactum, non illud actum videatur, ut à priſtino negotio diſcederetur, ſed ut novæ quædam obligationes inter paciſcentes conſtituerentur, uti loquitur *Neratius in l. ab emtione 58. ff. de pact.* cum contra in pacto legis commiſſoriæ & additionis in diem id omnino agatur, ut à priore negotio diſcedatur, contractusque reſolvatur, ſi conditio adjecta exiſtat, *Conf. ea, quæ latè exequitur Ant. Fab. de error. pragmat. d. 22. err. 2. per tot.*

CVII. Et hiſce quidem caſibus non ſaltem laudemium, ſi eo nomine aliquid ſolutum ſit, condici poterit, ſed etiam dominus directum emtorem ad inveſtituram petendam, propter probabilem conditionis appoſitæ metum, cogere non poſſe exiſtimo, ſiquæ illud faciat, emtor ipſi exceptionem nondum lapſi diei utiliter opponere poterit, uti ſtatuit *Frantz. cap. 16. num. 476.*

*Venditio
ſub haſta.*

CVIII. Haſtenus de emtione, quæ propriò factò domini, ſive ejus conſenſu & ſponte peracta. Jam paucis de illâ, quæ per judicem Dominò quaſi invitò fit, tractare libet. Refero huc *venditionem ſub haſta, & adjudicationem pignoris in ſolutum.* Et quidem de venditione ſub haſta nemo eſt, qui dubitat, quin ea vera venditio ſit, cum exinde debitor, perinde ac in ſpontanea venditione ad eviſionem teneatur, *l. ſi ob cauſam 13. C. de evict.* quocirca laudemium propter eam præſtandam eſſe, facile judicare licebit. Ita *Anton. Fab. in Cod. ſuo, tit. de jur. emph. def. 23. & def. 30. nu. 24. & def. 38. Knich. de pact. inv. p. 2. cap. 4. num. 132. Ziegl. ad aur. pr. Calv. S. nobiles num. 32. Carpz. p. 2. conſt. 39. def. 17.*

*Adjudica-
tio decreto
Magiſtra-
tus.*

CIX. Idem obtinet in *datiõne pignoris in ſolutum, quæ fit decreto Magiſtratus* (nam de ea quæ fit voluntate debitoris minus dubitandum, vid. *Besold. in theſ. pr. verb. Handlohn / S. Porro etiam*)

etiam) cum ea vicem obtineat emtionis, l. f. ibi: emtori similis est ff. ex quib. caus. in poss. eat. l. eleganter 24. ibi: imo utilis ex emtō actio accommodata est ff. de pign. act. Licet enim emtor quasi ex necessitate hic rem accipiat, cum forsitan ipsi magis pecuniæ numeratâ prospectum esset, indeq; ratio illa, quam supra th. 100. attulimus, cessare videatur; altera tamen, quod dominus jus quæsitum habeat, & investiturâ opus sit, omninò hoc casu adhuc militabit. Neque verò hoc modo malè creditori prospectum est, ut inde damnum sentire possit, cum non opus sit, rem ita æstimatam accipere, ut nullus respectus laudemii solvendi habeatur, sed potiùs æstimatio à iudice erit facienda, ne creditor sibi injuriam fieri, conqueri possit, idque eò liberius, quod tunc saltem ad talem dationem insolutum procedatur, si res emtorem aliam non inveniatur, vid. l. 3. C. si in caus. jud. pign. l. 1. & 3. C. de jur. dom. impetr. Novell. 4. cap. 3. Coler. de proc. execut. p. 3. cap. 9. num. 1. Conf. Hartm. Pist. qu. 50. n. 25. & seqq. Ziegl. d. S. nobiles n. 230.

CX. Verùm in tali adjudicatione insolutum, laudemium non præstandum erit, antequam per eam dominium irrevocabiliter fuerit translatum, quod non fit, nisi elapso biennio, quo debitori jus reluendi l. ult. C. de jur. dom. impetr. salvum est reservatum. Ex quo videtur, in eâ semper esse conditionem quandam resolutivam appositam, quâ existente dominium ipso jure ad debitorem redeat, quem idcirco etiam, si intra tempus luendi constitutum, debitum offerat, rem ipsam cum fructibus vindicare posse arbitror, motus argum. l. si is. 63. S. f. ff. de acquir. rer. dom. unde colligere licet talem adjudicationem, emtioni quæ fit sub pacto legis commissoriæ & additionis in diem non esse dissimilem, vid. Fabr. de err. pragm. d. 10. err. 3. n. 5. & Dn. Frantzk. cap. 16. num. 470. & proin etiam quo ad jus laudemii, eodem jure erit æstimanda.

CXI. Ex quibus jam dictis apparet, si emolumenta feudi locata sint, & tempore immisionis, unus ex conductione fructus percipiat, alius verò dum facultas reluendi præterlabitur, cuinam laudemium sit sit solvendum? Quanquam enim Anton. Fab. in Cod. t. de jur. emphyt. def. 30. & de error. pragm. d. 10. err. 4. pro primò conductore sentiat, tamen pro secundò ma-

gis rationem facere, autumo. Nam cum creditor immixtus tempore primi coloni à domino investituram petere, (à qua conjunctim cum alienatione jus laudemii dependere supra th. 69. dixi) non opus habeat, etiam laudemium postea præstitum, sibi vindicare non poterit.

Permutatio.

CXII. Emtioni venditioni similis est contractus *permutationis*, ex qua eodem modo laudemium deberi, rationis est, tum, quod per eam etiam res alienetur, dominiumque transferatur, unde investitura à domino directo petenda, quæ duo requisita juris hujus supra th. 69. posui, tum etiam per expressum textum sæpe *d. l. f. ibi: estimationis ubi gl. C. de jure emph. ex quo contra statuentium opinio*, (inter quos Guido Pap. qu. 92. idque de Saxoniae jure testatur Dn. Carpzov. in *Jurispr. Rom-Sax. p. 2. const. 39. def. 15.*) satis abundè refutatur. vid. Hartm. Pistor. *d. qu. 50. n. 28.* Neque enim valet argumentum, quo ex retractus cessatione ad laudemium concludunt, eliciuntque inde in permutatione laudemium non deberi, quod juri proximo ibi locus non sit, de quo const. *Frider. de jur. proximo. §. ex causa tamen dotis*, cum hæc jura inter se sint planè diversa. Hartm. Pistor. *d. l. Besold. in th. pr. verb. Handlohn §. Item ex contractu permutationis.* Sed si emphyteusis cum emphyteusi permutetur, utrum ab utroque latere laudemium solvendum? Affirmantium partes sequor, etiam tum, cum unus idemque Dominus fuerit, Ant. Fab. *dec. 99. or. 6.* Hartm. Pistor. *d. qu. n. 29.* Ziegl. *d. §. nobiles num. 225.*

Datio in dotem.

CXIII. Porro ad titulos onerosos etiam refero, *dationem in dotem*, cum illa pro oneribus matrimonii suscipiatur, *l. pro oneribus 20. C. de jur. dot.* Conf. *Schneidw. ad §. Item si quis in fraudem. J. de act. n. 13. & seqq.* cujus nomine, quomodo laudemium præstandum, paucis quoque agendum erit. Et multi quidem, qui pro necessaria alienatione laudemium dari negant, etiam illud ad dotem porrigunt, cum pater necessariò filiam dotare teneatur, *l. ult. C. de jur. dot. l. capite 19. ff. de rit. nupt.* adèd ut si filius familias matris pecuniam sumpserit, ut eam pro dote sororis daret, pater eo nomine actione de in rem verso teneatur, *l. si filius 17. ad Sc. Maced.* Hartm. Pistor. *d. qu. 50. num. 54.* *Besold. in th. pr. verb. Handlohn §. Nam si emphyteusis*
Ziegl.

Ziegl. d. S. nobiles II. n. 188. Sed cum hoc præsuppositum non firmo nitatur talo, uti supra thes. 100. demonstratum, neq; huic negationi tuto in hæteri poterit, Jung. quæ latè pro contraria sententia disputat Ant. Fabr. de err. pragm. dec. 99. err.

CXIV. Nos, quo res melius explicetur, distinguendum putamus, utrum dos mulieri nupturæ data, an vero futuro marito. Primo casu, quando dos mulieri datur à patre, aut alio, qui eam dotare tenebatur, tunc semper creditur, illã fuisse datam in anticipationem futuræ successionis l. un. ibi: in tam enim necessariis sibi conjunctisq; personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persolvitur. C. de impon. lucrat. descr. l. 10. indeq; illam mulier conferre tenetur. l. 19. C. de collat. r. t. ff. de coll. dot. cum ergo mulier dotè ita datam, non titulo singulari, sed universali habeat, facilè patet secundum ea, quæ supra th. 29. dicta, laudemium non deberi. Cessat autem hæc ratio, cum dos ab extraneo, qui mulierem nupturam dotare non tenebatur, fuerit data, quocirca hoc casu laudemium præstandum censemus, cum hoc pro donatione accipiatur, nisi dotem saluto matrimonio sibi reddi stipulatus fuerit, l. un. S. 13. C. de rei ux. act. & ita quoque sentit Lud. Molin. de J. & J. tr. 2. d. 461. num. 7. ubi tamen nullam rationem addit.

CXV. Altero casu, quando dos futuro marito datur, sive illud fiat ab ipsa muliere, sive ab alio, qui ejus nomine dat, nullum omnino laudemium deberi putamus, vel si quod debetur, id non tam ob dationem dotis, quam aliam ob causam dari existimo. Quod ut apertius fiat, differentiam facimus inter dotem æstimatò vel inæstimatò datam per text. in l. plerumq; 10. l. cum post. 69. S. cum res 7. ff. de jur. dot. C. cum fundus II. ff. de fund. dot. l. æstimatio 30. cum l. seq. ff. sol. matrim. Quando inæstimatò dos data est, nullam talem alienationem, qualem supra th. 72. pro subjecta materia descripsimus, factam esse arbitramur. Neque enim ita rei dotalis omne jus à se abdicat mulier, ut planè nihil in illa retineat, sed ipsam potiùs naturaliter ejus dominiũ adhuc habere, dicitur l. in rebus 30. C. de jur. dot. junct. l. quamvis 75. ff. eod. l. 14. pr. ad l. Falcid. Hinc periculum dotis ad mulierem spectat d. l. plerumq; 10. pr. & l. 12. S. 1. ff. de jur. dot. Vix autem civiliter & subtilitate quadam juris domi-

dominus dicitur, *d. l. in rebus*. Idque propter effectus, quos legumlatores per maritum, tanquam caput familiae, voluerunt expeditos, quales sunt ante L. Juliam alienatio, & post eam vindicatio *l. dote ancilla 9. C. de R. V.* Quam autem hoc dominium imbecille sit, patet exinde, quod culpam nomine dotis praestare teneatur, *l. in rebus 17. ff. de jure dot. l. etiam 18. §. 1. ff. sol. matrim.* Imo dotalis res respectu mariti aliena dicitur. *l. Fructus 7. §. 12. ff. eod.* Ex quibus cum manifestum sit, nullam hic subesse veram alienationem per consequens, neque investituram requiri, nec relevium praestari necessum erit.

CXVI. Quod si verò *dos aestimata* fuerit, spectandum est, quare id factum. Fit enim illud ob duplicem ferè causam, nimirum aut *venditionis gratia*, ita ut maritus rem dotalem eo ipso quando aestimatur, sibi emtam habeat, & hoc plerumque praesumitur, *l. un. §. 9. in f. & §. 15. vers. licet enim C. de rei ux. act. l. quoties 5. C. de jur. dot.* indeque fit, quod periculum dotis in maritum transeat, *d. l. plerumque 10. pr. ff. de jur. dot. l. si res aestimata 12. §. 1. vers. planè eod.* possitque ex emto ad rem tradendam, & ad evictionem praestandam agere, si dolus intercesserit, *l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. l. 1. C. de jur. dot. l. cum dotem 10. C. eod. l. ex conventionne 11. in f. C. de pact.* Jung. Sichard. *ad d. l. quoties 5. C. de jur. dot.* Et ita tanquam ex emtione laudemium praestandum erit, non verò tanquam ex dote, cum res talis esse desinat, & in locum actionis pro dote, aestimatio veniat, *d. l. 5. & 10. C. de jur. dot.*

CXVII. Vel aestimatur *dos taxandi gratia*, idè nimirum ut sciatur, quantum soluto matrimonio sit reddendum, ne si species aliqua deminuta aut perdita fuerit, aliò pretiò quam quò taxata fuerat reposcatur, uti dicitur *l. si inter 21. C. de jur. dot.* & tunc non debetur relevium. Vel taxatur dos in eum finem, ut, si vir eam emere, vel mulier (si electionem ex conventionne habet, *l. plerumque 10. §. f. ff. de jur. dot.*) illam vendere velit maritus dotem pretiò tali, quo aestimata fuit, emtam habeat. Et hoc casu non aliter laudemium praestandum erit, quam si soluto matrimonio emtio facta fuerit, quia tum demum alienatio perfecta, & conditio emtionis, in taxatione facta, existit, cum alias in emtione sub conditione facta, ante conditionis eventum relevium non praestetur, uti Doctores communiter tradunt.

tradunt, v. *h.* Fabr. in *Cod. suol.* 4. r. 42. def. 28. n. 2. *Carpz. in prax.*
for. p. 2. const. 39. def. 14. Jung. omnino Dn. Frantzk. *cap. 23. per tot.*
ubi dilucidè & eleganter, quatenus laudemium pro dote sol-
vendum, tradit. Quæ quidem omnia in puncto juris ita vera
esse videntur, consuetudine autem interdum aliter est rece-
ptum, uti illud de Mantuano Duce, cum Erricam Niverniæ
heredem duceret, testatur Choppin. de *Domino Franc.* l. 3.
cap. 7. num. 11. ubi Dux ille pro Ducatu Nivernensi, tanquam
uxorio feudo, Regi Franciæ redemptionalia solvit.

CXVIII. Et hæc, quæ jam dicta sunt, etiam locum habent
in donatione propter nuptias, Germ. *Gegenvermächnuß* /cujus
eodem modò dominium mulierem habere arbitror, quomo-
do maritus dotis dominus dicitur, tum quod talis donatio in-
ter modos civiles domini acquirendi referatur, *S. 3. ibi: qui*
veteribus Jctis planè erat incognitus l. de don. ubi Schneidw. Jung.
Hartm. *Pist. l. 1. qu. 14. num. 13.* tum etiam, quod mulier eam
vindicare possit, l. 29. *& auth. seq. C. de jur. dot. Novell. 61. cap. 1.*
S. 1. Novell. 92. cap. 1. auth. permiffa C. de don. ant. nupt. Jung. Dn.
Hahn. in *animadv. ad diff. Sutholt. diff. 6. anim. 5.* Gudel. *de jur.*
nov. l. 1. c. 8. vers. at vero, & vers. sed quari potest. circa fin.

CXIX. Aliter autem sese res habet in dotalitio seu doario.
Germ. *Leibgeding / Leibzucht / Witthumb.* Jure Saxonico usita-
to, de quo vid. Bened. *Carpz. d. pr. for. p. 2. const. 42. def. 2.*
quod omnino diversam naturam à donatione propter nuptias
habet, est enim nihil aliud, quàm nuda ususfructus constitu-
tio, qui mulieri viduæ ad tempus vitæ conceditur, ex quo li-
quet, in tali dotalitio constituendo veram alienationem,
qualis in nostro subjecto requiritur, non fieri, indeque de eo,
non magis quàm de usufructu, laudemium deberi arbitror,
de quo *suprathes. 74. latius actum.* Add. *Carpz. p. 2. const. 39.*
def. 31.

CXX. Hastenus de alienatione sive translatione domi-
nii, quæ fit ex titulo oneroso, sequitur ea, quæ ex titulo lucra-
tivo procedit. Talis est *donatio*, quæ vel est *Propria* vel *Impro-*
pria. Illa est gratuita rei collatio ex mera liberalitate irrevoca-
biliter facta, l. 1. *pr. de don. l. Senatus 35. S. 2. ff. de don. mort. caus.*
vocatur aliàs mera & absoluta d. l. 35. S. 2. l. *Aquilus Regulus 27.*



ff. de donat. Hac impropria, quæ non est merè gratuita, dicitur talis, vel ratione causæ impulsivæ, ut remuneratoria donatio, *d.l. 27.* vel ratione effectus, ut donatio mortis causa, *t.t. ff. de donat. mort. caus.* Vel ratione utriusq; , ut quæ fit in modum contractus innominati, *t.t. C. de don. quæ fit sub mod.* quo etiam referri potest donatio propter nuptias, de qua antea thes. 107. dictum: Jung. Sutholt. *diff. 6. th. 41. & tribus seqq.*

CXXI. Quod autem laudemii præstationem attinet, cum omnium ejusmodi donationum gratia, uno eodemque modo, tanquam ob titulum singularem, investitura petenda, nulla inter eas quoque differentia erit: vid. Clar. *S. emphyteusis qu. 23. n. 2.* Hartm. Pist. *d. q. 50. n. 31.* Knich. *de pact. invest. p. 2. cap. 4. num. 209.* Fab. *de error. pragm. d. 100. err. 1. & in Cod. suo. l. 4. t. 42. def. 29. num. 1. & 3.* Quod tamen tum demum verum esse puto, si firmæ sint & traditione consummatæ. Indeque laudemium peti non posse autumo, si donatio propria, quingentos solidos excedens, nondum fuerit insinuata, aut impropria sub modo facta ob pœnitentiã condicta. vid. Frantzk. *cap. 20. num. 37.*

CXXII. Sed illud in mortis causa donatione singulare est, quod illa perfecta non intelligatur, etiamsi traditio facta, nisi mors fuerit insecuta, *l. Senatus 35. S. 4. ff. de don. mort. caus.* In ea enim nunquam dominium irrevocabiliter transit, vel si hoc actum est, in donationem inter vivos degenerat, *l. ubi ita 27. ff. eod.* Quod si verò tacitè vel expressè fuerit revocata, laudemium ex eâ non debetur, cum tali donationi semper tacita conditio insit, eaque vel *suspensiva*, ita ut dominium non quidem statim transferatur in accipientem, sed tum demum, cum mors secuta fuerit, *l. 2. in f. de mort. caus. don. vel resolutiva*, ut transferatur quidem statim dominium, sed ita tamen, ut non secutâ morte, vel ex pœnitentiã, resolvi possit. *l. 1. in f. pr. ff. de donat. l. Senatus 35. S. 4. ff. de don. mort. caus.* Jung. Wesemb. *in π. num. 7. eod.* Ex quo est, quod non saltem condictio, sed & vindicatio donatori competat, *l. qui mortis causa 30. ff. de don. mort. caus.* Jung. Bachov. *ad S. 1. Inst. de donat.* eaque revocatâ, omnes fructus non solum pendentes, sed & consumpti restituendi, *l. cum quis 12. ff. de cond. caus. dat. caus. non sec. l. videamus 38.*

S. 3.

S. 3. ff. de usur. Ex quibus liquet eam ex tunc rescindi, & ad non causam redigi, quo casu laudemium non præstari sæpius dictum, vid. Anton. Fab. *d. 22. err. 1.*

CXXIII. Diversum verò est, quando donatio inter vivos, ob ingratitudinem ex *l. ultim. C. de revoc. don.* vel ob supervenientiam liberorum ex *l. 8. C. eod.* revocatur, de qua Cujacius *20. obs. 5.* Quia ea ex nunc saltem rescinditur, Jung. Ant. Fab. in *Cod. suo l. 4. t. 42. def. 28. n. 8.* Frantzk. *c. 14. n. 228.*

CXXIV. Ad titulum lucrativum pertinet etiam *legatum & fidei commissum particulare*, quod cum legatis omnino adæquatum, *l. 1. C. comm. de legat.* de quibus etiam laudemium præstandum assero, cum ibi ex titulo singulari personæ fiat mutatio, indeque investitura petenda sit, vid. Clar. *d. S. emphyteusis qu. 15. num. 2. in f.* Gothofr. *ad saepe d. l. f. lit. lz.* Frantzk. *c. 20. n. 71.* Diff. Ant. Fab. *dec. 100. err. 3.*

CXXV. Huc usq; jam ordine de alienationibus, tam quæ fiunt per titulos onerosos, quam per lucrativos, quatenus ad nostrum subjectum pertinent, actum est. De quibus omnibus, si ita tota res emphyteutica alienetur, facile dijudicare licet, quomodo laudemium solvendum. Attamen fieri interdum potest, ut non tota emphyteusis, sed pars saltem, in alium transferatur, quod duplici ferè modo contingit, vel enim alienatur emphyteusis pro *divisa*, vel pro *indivisa*. Si pro *divisa* alienetur, facile conicere licet, pro partis alienatæ quantitate laudemium esse præstandum. Si verò alienetur emphyteusis pro *indivisa*, puta, si vetus emphyteuta novum socium adsciscat, idem dicendum erit, cum talis socius titulo singulari rem acquirat, & investiturâ opus habeat, quæ juris laudemii constituendi utramq; paginam conficere, sæpius jam dictum est.

CXXVI. Verum, ut duo unam eandemque rem emphyteuticam in divisam teneant, variè contingere potest, in quibus casibus prout quilibet ex titulo singulari partem suam acquirat, ita etiam relevium præstare tenebitur. Puta, si duo societatem omnium bonorum instituant, secundum *l. 3. ff. pro soc. & pr. J. de societ.* in quâ, cum non saltem illa bona contineantur, quæ titulo oneroso acquiruntur, sed & illa, quæ titulo lucrativo obveniunt, qualia hereditates, legata & similia,

l. 3. §. 1. ff. pro soc. Hinc fieri potest, ut alteri sociorum hereditas obtingat, cujus cum socio communionē habere vi conventionis obligetur, qui, cum in illaloco extranei sit, neq; dominum sine prævīa obligatione agnoscat, indeq; investiturā opus habeat, ad laudemium præstandum indubiè etiam tenebitur, secundū ea, quæ infra thes. 130. & seqq. latius dicemus.

CXXVII. Aliò etiam modò evenire potest, ut aliquis non ex conventionē, sed casu, in communionem cum altero incidat, uti in simili loquitur Jurisconsultus in *l. heres. 25. §. 16. ff. fam. ercisc.* quod cum sit, prout casus habilis fuerit, vel uterque (ut si duobus legatum sit relictum) vel unus (ut si alter tanquam heres & ita titulo universali, alter verò tanquam legatarius & titulo particulari rem teneat) ad relevium (quod gesambrte & ehewahr vocant) domino pro rata præstandum tenebitur.

CXXVIII. Ex quibus jam colligere licet, si tales postea à communionē discedant, utrum pro divisione novum adhuc relevium (quod vulgò sonderbare & ehewahr vocant. Carpzov. *p. 2. cap. 39. def. 23. num. 1.*) solvendum? Cum enim uterq; jam tum dominium recognoscat, & investitus fuerit, præstanda quin etiam præstiterit, nimis foret durum, & contra juris rationem, si ad idem secundā vice deberent compelli. Cui etiam accedit, quod hoc casu nulla fiat alienatio, sed saltem partium declaratio, ita ut id, quod antea sociorum pro indivisò erat, postea pro virilibus portionibus distribuatur. vid. Knich. *de pact. invest. p. 2. c. 4. n. 202.* Hartm. *Pist. d. qu. 50. num. 56.* Fabr. *de err. pragm. dec. 98. er. 4.* Frantzk. *cap. 19. num. 16.* & novissimè Dn. Carpz. *d. def. 23. per tot.*

CXXIX. Quod si verò in judicio de communi dividundo, res tota uni adjudicetur, (quod fieri posse *ex §. 5. f. de off. jud. constat.*) sive illud voluntariè fiat, sive necessariò, & ex natura rei, sive cum licitatione, sive sine ea, laudemium adhuc domino, pro ea parte, quam ille cui res adjudicatur, antea nondum habebat, deberi, contra Dn. Frantzk. *cap. 8. num. 48.* verius puto. Cum enim uterque sociorum tantum pro dimidia, parte dominum ob factam investituram recognoscat, utiq; aliā investiturā

stiturâ pro altera parte adhuc opus erit, cui laudemii petitionem adhærere indubium est.

CXXX. Cui etiam accedit, quod contrariâ opinione concessâ, casus contingere possit, quò dominus dimidiâ laudemii parte fraudetur, quod tamen omnino injustitiam sapit, puta, si alicui dimidia pars fundi emphyteutici legata fuerit, & altera pars penes heredem manserit, tunc legatarius dimidiam laudemii partem pro sua portione præstare tenebitur, heres verò non item. Postea in communi dividendo iudicio, legatario totus fundus adjudicatur, ea conditione ut heredi aliunde satisfaciatur. Ex eorum præsupposito laudemium pro altera dimidia parte adjudicata non præstabit, & tamen rem totam titulo particulari tenet, quocirca dominus dimidiæ fundi partis, pro qua neque unquam legatarius dominum recognovit, neque investitus est, laudemio fraudabitur. Neq; movet ratio Dn. Frantzkii, *d. c. num. 50.* quod talis adjudicatio à naturâ divisionis dependeat, habeatque idcirco eundem effectum. Vel enim hoc saltem ob necessitatem fit, quam in hac materia non considerari ipse expressè *cap. 16. num. 16.* concessit. Vel omninò negandum est, hanc adjudicationem aliquid cum divisione commune habere, cum illa potius ob naturam rei, quæ commodam divisionem non recipit, quàm ob naturam divisionis, quæ hic nulla est, à iudice fiat, vid. *Fabr. dec. 98. er. 5.* Hartm. Pistor. *d. qu. 50. n. 56.* ubi tamen limitationem addit, si socii tales expressam intentionem habuerint divisionem faciendi, & tamen nihilominus adjudicatio à iudice facta, quod tunc relevium non debeat, add. *Matth. Coler. p. 1. decis. 33. num. 35.* & novissimè *Carpzov. p. 2. const. 39. def. 25.* qui tamen de coheredibus loquitur, de quibus verò ratio diversa videtur, vid. *Frantzk. cap. 8. num. 57.*

CXXXI. Et hæc, quæ hastenus dixi, multo magis vera erunt, si socii privatâ conventionem titulò onerosò vel lucrati-
vò, uni rem totam concedant, cum ibi vera fiat alienatio, de quo tamen dissentit *Lud. Molin. de J. & J. disput. 469. num. 7.* Alia autem prorsus est ratio, si res duobus legata, postea ex defectu unius alteri tota accrescat, tunc enim semel & totum

laudemium deberi, ratio perspicua suadet, cum illud saltem, ex translatione domini æstimetur, & in hoc casu legatum non divisim, sed una vice totum transferatur.

*Alterum re-
quisitum
Investitura.*

CXXXII. Postquã de uno requisito à parte emphyteutæ, alienatione nimirum, satis prolixe actum, jam ad alterum, quod à parte Domini ad laudemium percipiendum requiritur, ordo nos deducit. Hoc supra thes. 69. *investituram* esse diximus. Utor autem hîc ea voce aliquantò latius, quàm vulgò apud feudistas fieri solet, qui eam pro actu investiendi, qui sub promissione fidelitatis expeditur, accipiunt. 1. *Feud.* 25. Vult. 1. *Feud.* 7. num. 6. Georg. Schultz. in *synops. Jur. feud.* c. 9. num. 3. Hic nihil aliud est, quàm *actus, quo possessio quocunque jure alicui conceditur.* Ita non tantum actualem possessionis translationem, sed etiam possessionis jam adeptæ confirmationem includimus, sicuti juris est ubique, ut, vel in feudi, vel in emphyteusis, vel bonorum censiticorum alienatione, acquisitio & possessio non aliter rata sit, quam si Dominus directus consensum suum per subscriptionem, vel depositionem aut attestacionem declaret, eoq; actu veterem personam alienatorem ab obligatione prisca liberet, & novum acquirentem pro qualitate rei alienatæ, vel ad fidelitatem, vel ad canonis, censusve præstationem devinciat, idque est, quod vulgari loquendi more dicitur; *Das Lehen auffündigen / vnd den Käuffer an die Lehen bringen.* Andr. Knich. *de pact. invest.* p. 2. c. 4. n. 241.

CXXXIII. Hinc patet investiturã ad duplicem finem opus esse. [1.] Ut vetus emphyteuta à præstatione canonis liberetur, quod non fieret, nisi Dominus novum emphyteutam, quasi delegatum debitorem, per investituram susciperet. Cui consequens, quod tũ; ubi talis obligationis liberatio non fit, neque investiturã opus sit, quemadmodum accidit, si non ipsa emphyteusis, sed usufructus vel pignus saltem illius constituatur, vel etiam subemphyteusis, vel subfeudum concedatur, de quibus vid. Frantzk. c. 14. n. 45. add. sup. th. 49.

CXXXIV. [2.] Investitura requiritur, ut novus emphyteuta Domino directo ad canonem præstandum obligetur, quem sine actu hoc, obligatione veteri personam alienatoris non egrediente, Dominus frustra sibi ab eodem polliceretur.

cur. Unde concludo, ubicunque talis obligatio inter Dominum & novum emphyteutam jam tum intercescit, investituram non requiri, neque laudemium præstari, uti supr. th. 29. de successione universali dictum est.

CXXXV. Itaque quando novus emphyteuta cum venditore Dominum adit, seque in emphyteutam recipi petit, ab eoque per investituram recipitur. Justinianus Imperator pro tali receptione Domino laudemium sive quinquagesimam pretii partem præstari æquum censuit, *d. l. ultim. ibi: pro subscriptione sua & depositione. C. de jur. emph.* Ex quo vulgatum illud Doctorum dimanavit, laudemium Domino directo pro labore investituræ deberi, neque ante eam peti posse, cum ejus dies neque venerit neque cesserit, *argum. S. 2. I. de V. O. & l. cedere diem 213. ubi Gædd. Add. Ludov. Mol. de F. & F. tr. 2. d. 459. num. 21. Wesemb. conf. 16. num. 3. Knich. de pact. investit. p. 2. c. 4. num. 237. Jul. Clar. l. 4. recept. sent. S. emphyteusis. quest. 23. num. 3. Frantzk. c. 5. per tot.*

CXXXVI. Quocirca contrahentes ad laudemium non sunt obligati, non saltem tunc, quando ante investituram factam discedant à contractu, uti vult. *Wehn. observ. pr. lit. H. verb. Handlohn. Berlich. decis. 47. per tot. Hartm. Pistor. l. 1. q. ultim. num. 13. & seq. Diss. Bachov. ad Ant. Fab. ex. 95. col. 2. statuens laudemium deberi emtione venditione perfecta nudo consensu, cujus argumenta refutat Dn. Frantzk. c. 58. num. 18. & seqq. Etiam si Dominus pro receptione in possessionem fuerit interpellatus: Habet enim Dominus directus, jus laudemii percipiendi sub conditione, si investituram fecerit, quâ proin deficiente ipsum quoque jus laudemii cessabit, *l. necessariò. 8. pr. de per. & comm. rei vend. Jung. Wesemb. d. conf. 16. num. 7.* Neque verò idcirco dici potest, Domino præjudicium fieri, si contrahentes investituram subterfugiant, quia certum tempus tam in feudi quàm in emphyteusis alienatione investituræ est præstitutum, in feudis quidem annus & dies, *pr. que fuit prim. caus. benef. amitt. 2. Feud. 24.* in emphyteusi autem utrum annum vel bimestre tempus inter Doctores ambigitur. Intra quod tempus nisi petatur investitura, novus emphyteuta, aut planè non, aut sub*

Sed etiam,

pœna

pœna saltem arbitraria, admittitur. vid. Berlich. *decis.* 68. Clar.
d. §. emphyteusis. q. 43. n. 3.

CXXXVII. Sunt tamen hæc omnia cum grano salis accipienda; ut, tum demum nuda interpellatio Domini pro investitura facta, & nudus consensus in traditione possessionis non pariat jus laudemii, si per Dominum steterit, quod minus facta fuerit investitura. Quod si verò, illo in mora non existente, postea à contractu discedatur, id in ipsius fraudem & præjudicium factum esse præsumitur, ideoque non immerito investituram pro completa haberi, laudemiumque peti posse putamus, argum. *l. in Jure Civili. 24. ff. de condit. & demonstr. l. 161. de R. J. c. cum non stat per eum. 66. de R. J. in sexto.* Jung. Hartm. Pistor. *d. quest. 50. num. 14.* Knich. *d. c. 4. num. 250.* Et vice versa Dominus investituram facere recusans etiam laudemio carebit, & novus emphyteuta, idoneus existens, propriâ autoritate in possessione manere poterit, *d. l. ultim. ibi: suscipere minimè Dominus voluerit. C. de Jur. emphyt.*

CXXXVIII. Repetendum autem hic est illud, quod supra th. 69. monuimus, nimirum tum demum laudemium ex investitura deberi, si manus mutatio ex alienatione præcesserit. Ex quo sequitur, si Dominus primitus alicui, emphyteuti vel feudum per investituram concesserit, exinde laudemium non deberi. Neque etiam tunc, si quis simultaneè investitus fuerit, quod German. *Wit gesamppter Hand* vocant, de quo vid. Hartm. Pistor. *l. 2. q. 20.* Add. ea, quæ latius hic exequitur Dn. Frantzk. *c. 8. n. 84.*

CXXXIX. Hæc de requisitis laudemiorum dicta sufficient, sequitur forma, siue quantum eo nomine præstandum, Quod quidem Jure Civili quinquagesimam pretii conventi, siue æstimationis loci, esse partem, ex sæpè *d. l. f. c. de jur. emph.* indubium est; Sed hanc dispositionem ubique ferè gentium generali consuetudine abrogatam, & nusquam amplius in usu esse, testatur Ant. Fab. *de errorib. pragm. dec. 100. error. 6.* eam tamen adhuc in regno Castellæ vigere refert. Ludov. Molina. *de J. & J. tract. 2. disput. 459. num. 21.* & de constitutione Anhaltina Knich. *de pact. investit. p. 2. c. 4. num. 188.* Hodie consuetudo variat ubique ferè, ita ut quantitas interdum minuat

tur,

tur, quemadmodum in quibusdam locis, quoad bona ecclesiastica hereditariae recognitionis nomine concessa, Hohe-Eloster Lehenwaar 2. fl. von 100. & kleine Lehenwaar 10. gl. laudemii nomine pendi, dicit Knich. *d. l.* ubi multas alias diversas consuetudines recenset. Ita quoque in Lusitaniae Regno quadragesima solvitur, teste Molina *d. l.* in Ducatu Saxoniae vigesima, Coler. *decis.* 33. *num.* 3. in aliis locis decima, in aliis quinta, prout usu receptum, praestanda est, vid. Frantzk. *c.* 23. *n.* 13. & *seqq.* Imò interdum etiam dimidia pars praestatur, uti in quadam Lusitaniae regione, quae est inter Durium & Minium, in usu esse, affirmat Ludov. Molin. *d. l. num.* 21. *in f.* quod tamen ipso fatente maximam iniquitatem sapit. Sed omnes ejusmodi consuetudines nunc examinare, instituti ratio non permittit.

- CXL. Nobis hic saltem de rei aestimatione sive pretio, cujus quinquagesima pars laudemii nomine ex *sapè d. l. ultim.* est praestanda, sermo erit. Quod, ut eò distinctius expediamus, primò, quid sub *rei* appellatione contineatur, & postea, quid *pretium* sive *aestimatio* comprehendat, explicabimus.

- CCLI. Sub *rei* appellatione omne illud continetur, cujus Dominus directum habet dominium, & proin jure quoque in emphyteusin concedere potest. Et quidem fundum ipsum emphyteuticum, prout ille primò in emphyteusin concessus, in hunc venire censum, extra dubium est; An verò idem de omnibus meliorationibus, quae postea fundo accesserunt, eòdem modò asserendum sit, non ad eò est liquidum. Praemittendum igitur, meliorationes tales, aut esse *naturales*, aut *industriales*. *Naturales* sunt, quae ex sola naturae operatione, sine labore & artificio humano, rei accedunt, quales sunt alluviones *S. praeterea.* 20. *I. de R. D. l. ad eò.* 7. *S. 2. ff. eod.* appulsiones *S. quod si vis fluminis.* 21. *I. eod.* Insula in flumine nata, *S. insula.* 22. *I. eod. l. penult. & ultim. ff. eod.* De his certum, eas acquiri illis, quorum sunt praedia, quibus accedunt, *dd. ll.* adeoque ad Dominum directum tales meliorationes quoque spectare. Verum utrum statim ab initio plenariè etiam, quo ad dominiũ utile, Domino directo acquirantur? dubio non caret. In Feudis hoc decisum habemus, *in c. 1. S. si quis de manso. 5.*

H

Et ultim. si de inv. feud. controv. sit. 1. Feud. 4. ubi distinguitur, an de tali incremento aliquid in investiturâ comprehensum sit, vel non, illo casu investituræ standum esse: Alias verò, si nihil in primâ investiturâ de eo actum, spectandum, an Dominus aliquid in primâ investiturâ sibi in curte reservaverit, quod si factum, præsumitur etiam accessiones pleno jure sibi reservasse. Altero verò casu non item, sed accessiones eodem jure, quò ipse fundus, æstimantur. Et hoc etiam ad Emphyteusin & similia porrigi posse, persuasum habemus.

CXLII. Meliorationes *industriales* dicuntur, quæ industria hominis prædio accedunt, & sunt vel *intrinsecæ*, vel *extrinsecæ*: *Intrinsecas* voco, quæ ita rei accedunt, ut ei adjungantur planè & adhæreât: de quibus regula; Quod ita jungitur alteri, ut sine eo esse non possit, id ei, cui jungitur, cedit, licet sit pretiosius, & eodem jure habeatur, quò accessio naturalis, nisi quod ille, qui aliquid bonâ fide junxit, possit impensas reperere. §. *certè illud l. de R. D. idq; ob æquitatem naturalem, quod nemo cum alterius damno debeat locupletari l. nam hoc naturâ. 14. ff. de condict. indeb.* Huc pertinent implantatio, inædificatio, &c. vid. Suth. *diff. 4. th. 42.* Meliorationes *extrinsecæ* sunt, quæ nudè saltem ita rei adjunctæ & unitæ, ut tamen per se subsistere & censeriqueant. Atque in his Dominus directus nullum sibi jus acquirit, exempla vide apud Hartm. Pistor. *l. 2. q. 42. n. 41.* ubi latè hac de re differit.

CXLIII. Ex hisce jam præsuppositis facilè judicium fieri poterit, Domino directo laudemia pro omnibus istis meliorationibus deberi, quarum ille dominium acquisivit, quales sunt naturales & industriales *intrinsecæ*, ita ut illa pro solo & superficie & omnibus accessionibus exigere possit, etiam tunc, quando meliorationes tales separarim venduntur, quia illud, quod semel ejus per accessionem factum est, ipsi postea adimi non poterit, vid. omninò Dn. Frantzk. *cap. 15. num. 42. Et mult. seqq. Et c. 16. n. 170. cum seqq.*

CXLIV. Hæc de rebus, quæ in laudemii æstimationem veniunt. Jam quid pretii nomine contineatur, paucis dicendum erit. In *l. enim fin. C. de Jure emph.* precium censeretur, quod inter partes est conventum. Quo ipso omnes sumptus, qui ad
H
commo-

commodius & securius contrahendum impenduntur, excludimus, quales sunt proxenetica, salaria notariorum, obsonia, bibales, vulgò Weinfauff/quemadmodum per arrestum Luteiis pronunciatum ex Amed. à Ponte *quæst. laudem. 6. pr.* refert Dn. Frantzk. *cap. 23. num. 42.* Cum verò pretium crescat & decrescat, *l. pretia rerum. 63. inf. ad L. Falc.* etiam inde laudemium augeri & minui rationes erit, ita ut, si in casu *l. 2. C. de resc. vend.* vel ex *adilitio edicto* agitur, adjiciatur vel dematur aliquid pretio convento, etiam laudemium inde auctorem & diminutionem recipiet, ita Chopp. *de dom. Franc. l. 2. §. 5. n. 6.* Frantzk. *l. 16. n. 405.*

CXLV. Et hoc quidem satis per se planum videtur, si fundus simpliciter sine omni *additamento* aut *reservatione* fuerit distractus, aliàs autem res aliquando reddetur intricatior. Quod ut melius intelligatur, sciendum est, *additamentum* tale vel fundo emphyteutico, vel pretio convento adjici, utrumque vel non recipit æstimationem, & huc non pertinet (veluti, si alicui officium præstandum promittatur, si fundum vendere velit,) vel recipit æstimationem; & distinguendum est, utrum rei sit adjectum, vel pretio. Illo casu minuitur laudemium. e. g. Titius emit 150. solidis emphyteuticum fundum à Sempronio, hâc conditione, ut Sempronius à Mævio huic fundo suo servitutem imponi patiatur; Servitus autem illa 50. solidis æstimeretur, laudemium igitur non de 150. sed de 100. saltem præstandum erit. Hoc casu si additamentum pretio adjectum fuerit, laudemium augebitur. e. g. Si fundus centum veneat, cum pacto, ut emtor in super alium venditoris fundum haberet à servitute, laudemium non saltem secundum pretium conventum, sed etiam secundum æstimationem servitutis, quæ in pactum venit, erit præstandum, vid. Frantzk. *cap. 23. num. 51.*

CXLVI. In *reservatione* interest, utrum reservatio facta de fundo ipso; puta si dimidia pars ejus saltem fuerit vendita, & tunc non nisi pro eâ parte, laudemium esse solvendum, dubio caret, vel utrum de jure fundi aliquid reservatum fuerit, v. g. si venditor usumfructum retinuerit, vel ipsum in sub emphyteusin aut subfeudum, (si antea feudum fuerit,) tenere velit.

Et tunc quidem eodem modo non est majus laudemium solvendum, quam secundum proportionem pretii conventi ipsius fundi, deducto usufructu, sed tamen, si postea vel usufructus revertatur ad proprietatem, vel ab emtore proprietatis redimatur, ejus quoque pretii vel æstimationis relevium ad Dominum pertinebit, non quidem ideò, quod novam personæ mutationem fundive alienationem factã esse dicamus, sed quod per talem accessionem ipsius fundi pretium auctum fuerit. Neque hoc cum ullâ emtoris injuriã conjunctum, cum utrumque pretium, quod hinc pro proprietate, illinc pro usufructu solvitur, totius fundi valorem adæquans perinde habeatur, ac si fundus integer cum omni jure una emtione fuisset comparatus. Præsertim, cum aliàs Dominus facillè in laudemio fraudari queat, si venditurus fundum, usufructum retinens, proprietatem emtori exiguo pretio tradat, & postea usufructum tanquam laudemio non obnoxium redimi patiatur, & ita pronunciatum refert in Senatu Parisiensi Renat. Chopp. *l. 2. de Legib. And. p. 1. c. 2. t. 3. art. 12. allegat. à Domino Frantzio, tr. de laudem. c. 16. n. 3. 5.*

CXLVII. Et hæc ita sese habent, si de pretio inter partes convenerit, si verò secundum rei æstimationem, quemadmodum in permutatione & donatione usuvenire solet, laudemium exigatur, ea per arbitros, peritos rerum æstimatores, à partibus electos, vel etiam interdum officio judicis, perficienda erit, idque regulariter sumptibus & impensis Domini, ita Molin. *ad consuet. Paris. c. 1. gl. 78. n. 3.*

CXLVIII. Ut autem Dominus de quantitate laudemii petenda certus esse possit, illi titulum possessionis sive instrumentum venditionis à novo possessore, vel emphyteuta, ne fraus committatur, exigere permissum est. Neque illud juris rationi refragatur, nam, & si nemo titulum suæ possessionis edere cogatur, *l. cogi. II. C. de pet. hered. cum nimis grave sit, urgeri ad exhibitionem eorū, per quæ sibi negotium fiat, l. nimis grave 7. Cod. de test.* Attamen, cum novus emphyteuta confiteatur, rem ad directum Dominum pertinere, instrumentum venditionis commune censetur. Aliud foret, si possidēs rem emphyteuticam esse negans, illam tanquam propriam possidere prætende-

tenderet. Vide ea, quæ latè deducit, Hartm. Pist. p. 2. q. 46. per tot. Jung. Alv. Valasc. de jur. emphyt. q. 8. per tot.

CXLIX. Illud quoque non incommodè hic quæri poterit; An laudemium pars pretii reputetur? Quod quidem, si rem probè considerare velimus, omnino negandum videtur, propterea, quod emtor laudemium à pretii conventi, quantitate deducere aut defalcare nequeat, sed id ipsum saltem ad pretii proportionem solvere teneatur. Ita nec Dominus, ullam actionem laudemii nomine, adversus venditorem habebit, etsi ille totum pretium receperit. Attamen fatendum erit, laudemium aliquo modo virtualiter sub pretio contineri, cum emtor eò præcipuè respiciat, ut eò vilius rem emat, quo majus laudemium præstandum novit, unde Besold. in thes. pract. verb. Handlohn: Weglohn machet das Hoffgut an sich zu lösen gemeiniglich umb so viel pfund vnd schilling ringer / als der Lehenlohn ist. Ex quo fundamento *Laudemium, quando ex. l. 2. C. de rescind. vend. ad rescindendum contractum agitur, in pretium si- ve estimationem imputandum*, videbo, an defendi possit contra Dn. Frantzk. c. 23. n. 30.

CL. Superest, ut jam de remediis, quæ utrinque vel Domino in petendo, vel novo emphyteutæ in recusando vel re- petendo competunt, agamus. Et quidem à parte domini cer- tum est, illum, statim atque investituram fecit, laudemium exi- gere posse, cum eo ipso dies laudemii & venerit & cesserit, *arg. l. cedere diem 213. de V. S.* Quod si verò refractarius fuerit em- phyteuta, ipsum actione adoriri, dominus necessum habebit. Quænam vero hoc casu competens actio sit, non satis inter Doctores convenit; quidam enim actionem hypothecariam dari contendunt, inter quos Amed. à Ponte *quest. laud. 35. alleg. à Domino Franztkio cap. 24. num. 4.* idè quod quoties aliquod onus apponitur super re certa, vel pactum initur de percipiendo aliquo jure super eâ, toties illa censeatur hypo- thecata. Cui tamen fundamento *l. f. ff. de contrab. vend.* omni- nò obstare videtur, ubi promissio præstationis annuæ facta à L. Titio de fundo suo, & tamen nulla inducitur obligatio rea- lis vel hypotheca. Ita aliàs quoque certi juris est, tacitam hy- pothecam sine certa lege non induci, ex. vid. *in l. un. C. de rei*

Remedia pro
laudemii
competen-
tia.

ux. act. l. 6. inf. C. de bon. qua lib. l. 1. C. comm. de leg. Nulla autem
lex monstrari poterit, quæ domino pro laudemis hypothecam
concedat, & proin nec actio hypothecaria eidem competere
poterit.

CL I. Aliter Anton. Fab. *in Cod. suo l. 4. t. 31. num. 12. & t. 43. num. 24. in alleg. & def. 68. t. eod.* & realem & personalem
actionem domino concedit. Quod quoad realem rationi ju-
ris vix convenire putamus, si enim rei vindicatio intelligatur,
non aliter ea locum habebit, quam si res non debitò modò
alienata in commissum ceciderit, quod cum factum, de laude-
mio amplius quæstio non erit, cum talis alienatio ipso jure
nulla sit. Jung. *supra th. 82.* Sin ad confessoriam respiciat, di-
cendum esset, laudemium onus aliquod reale, & servituti si-
mile esse, uti innuit Ant. Fab. *d. t. 43. def. 1. n. 24.* quod quo-
modo probari queat, non video, illud enim propriè non ex
ipsa re, sed potius propter eam, nimirum ob navatam investi-
turæ operam, percipitur, id quod propius ad quasi cõtractum,
vel, si ita expressè inter contrahentes convenerit, ad cõtractum
innominatum indeque descendente obligationem pertine-
ret. Ex quo omninò sequitur, emptorem ad laudemia ab
anteecessoribus debita exsolvenda, nulla actione teneri, quod
tamen affirmat Fab. *in Cod. t. 43. def. 68.* vid. Frantzk. *c. 16. n. 123.*

CL II. Restat igitur, ut hoc casu nomine laudemii saltem
actionem personalem Domino competere aſseramus; sed quâ
ratione Dn. Frantzk. *cap. 24. n. 27.* eam, conditionem ob cau-
sam esse, putet, nobis conſpicere non licet. Nos eorum senten-
tiam juris principiis magis convenire putamus, qui *condictio-
nem ex lege* pro laudemis competere existimant. Cum enim
hæc condictio locû habeat, quando obligatio quædam specia-
li lege introducta est, etiâ huc illa meritò pertinebit. Nam lege
introducta obligatio dicitur ea, cui à lege certa forma est præ-
scripta: Formam autem laudemiorum, in certa quantitate,
quingagesimâ nimirum precii parte, consistere, etiam ipse
Dn. Frantzk. *c. 23. n. 2.* fateatur, quæ cum ab Imp. Justiniano *in
d. l. ultim.* primitus laudemis fuerit præscripta, miror, cur idem
Frantzk. *cap. 24. nu. 25.* hanc conditionem ex lege pro relevio
dari neget.

CL III. Hæc

CLIII. Hæc de remedio, quod domino competit. Ea quæ novo emphiteutæ profunt, vel in recusando, vel in repetendo laudemio consistunt. *Recusatio* fit per exceptionem, quales sunt exceptio præscriptionis, pacti conventi, solutionis, compensationis & similiû, de quibus omnibus speciatim agere temporis ratio non permittit. *Repetitio* locum habet, quando laudemium domino est solutum, cum tamen vel investitura non fuerit facta, vel contractus vitiosus, vel alienatio ad non causam redacta, secundum ea, quæ supra *thes. 82. 85. & seqq.* sunt dicta. Potest autem hæc repetitio per *conditionem indebiti* institui, uti latè exequitur Dn. Frantz. *c. 14. n. 122.*

CLIV. Hæc de laudemis ipsis eorumq; natura hac vice dicta sufficiant: ex quibus jam facillè dijudicari poterit, in quibus laudemia differant ab istis exactionibus & tributis, quæ subditis à Magistratu in aliis rerû alienationibus solèt imponi. Quales in Gallia sunt exactiones illæ, quas *Lauds & ventes* appellant, quæ ab emtoribus in emtionibus rerum immobilium sunt præstandæ. Ita in Genevensi Rep. inhabitantes (les inhabitants) res immobiles ementes, sextam partem pretii Magistratui dare tenentur, Cives verò quartam hujus tributii partem liberam habent. In Belgio quoque omnium immobilium bonorum nomine (quorum appellatione etiam majores naves continentur) vectigal est solvendum, quadragesimus nimirum nummus, quo unaquæq; talis res vendita est. Et hoc mirum in modum ad ærarium augendum facit, cum nullibi ferè terrarum frequentiores sint immobilium rerum venditiones, ita ut etiam de civitate Leydensi proverbium ortum sit, singulis trienniis dimidiam urbis partem alienari, refert Buxhorn. *in rep. Holland. nondum publici juris factâ.* Huic simile est aliquo modo tributum in Regno Castiliæ *Alcavala* dictum, quod in venditione tam rerum mobilium, quam immobilium à venditore est solvendum, in permutatione autem ab utroque contrahentium exigitur, quia ibi duplex venditio videtur intercedere; hoc olim fuit trigesima pretii vel æstimationis pars, deinde verò ad vigesimam, & tandem ærarii necessitate urgente ad decimam extensum fuit. Eodem modo in Lusitania tributii species præstanda est, quam *Sisam* appellant, & pro dimidia parte

Affinia laudemiorum.



parte, tam ab emtore, quàm venditore solvitur, vid. Molin. de
F. & F. tom. 3. disput. 663. n. 1. Olim etiam in municipiis usita-
tum & sancitum fuit, ut, si non curialis curiali succederet, quar-
tam bonorum partem curiæ relinqueret. *t. t. C. quand. & quib.
quart. pars. deb. ex bon. decur. l. 10.* Si verò non curialis à curia-
li rem immobilem titulo lucrativo acciperet, *siliquatica* erat
pendenda, *l. un. C. de imp. lucr. descript. l. 10. ubi Cujac.* Et hodie
adhuc in quibusdā civitatibus, ex lege municipali jus detra-
ctionis sibi arrogant Magistratus, quod vulgò *Abzug/ Abfahrt/
Ausstauff* / sive *Nachsteuer* appellant; quod ob duplicem cau-
sam præstandum est, vel enim decerpitur ab hereditate, quan-
do alienigena & peregrinus civi succedit, vel si civis velit mu-
tare domicilium suum, & sedes suas alio transferre, *Wann er
das Burgerrecht aussagen will.* vid. Wehn. *in obs. pr. l. n. verb.
Nachsteuer. Befold. in th. pr. verb. Abschoss.* Speid. *in Notabil. Ju-
rid. pol. lit. N. Lindem. in Histor. Jur. Rom. num. 36.* Cum hisce
laudemiiis non nihil quoque affinitatis habere videtur exactio
illa, quæ pro introitu olim fuit soluta, quando aliquis ad of-
ficiū erat electus. Ita *Plin. ad Trajan. ep. 10.* inquit: Superest,
ut inspicias, an in omnibus civitatibus certum aliquid, quod
βελδοται leguntur, debeant pro introitu, vid. Gothofr. *ad l.
pen. S. 2. ff. de leg. 3.* Similiter clerici olim *ἐμφαισιμὰ* sive *infi-
mativa* pro receptione præstabant, *Novell. 56.* Ita Episcopus
cathedratica sive inthronistica Metropolitanano dabat, Metro-
politano Patriarchæ, Patriarcha Episcopis, à quibus erat ele-
ctus. *Novell. 123. cap. 3. ubi Gothofr. lit. l. Jung. Ed. 13. Justin. cap. 7.
ubi Gothofr. l. a. similia multa congescit.* Eodem modo ho-
die etiam in multis civitatibus in usu esse videmus, ut aliquis,
quando in civem se adscisci cupit, certam pecuniæ summam,
quam *Auffnambgelt* sive *Ausfahrt* appellant, solvere teneatur,
vid. Knich. *de invest. pact. p. 2. c. 4. n. 288.* Quod & de rusticis fieri
interdum, quando à nobilibus in subditos recipiuntur, testatur
Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 7. m. 2. n. 211. in f.

Hæc q; de laudemiiis pro temporis & instituti ratione dicta sufficiant, si
quæ forsitan non adeò benè limata exciderint, lectorem
candidum rogo, ut eâ velit dextre
interpretari.

COROL-



COROLLARIA.

I.

Æquitas propriè dicta legibus non continetur.

II.

Majestas individua est, Jura autem Majestatis dividi possunt.

III.

Jus forensè divinum in Veteri Testamento nos quidem non obligat, attamen non licet aliquid directò contra statuere.

IV.

Jus gentium in primarium & secundarium equivocè dividitur.

V.

Qui rem legitimo tempore usucepit, in conscientia est tutus.

VI.

Pœna furti capitalis rationi naturali non est simpliciter adversa.

VII.

Nulla ignorantia simpliciter excusat.

VIII.

Consensus parentum in nuptiis liberorum non eodem modo jure natura & divino est necessarius, quàm jure civili.

I

IX.

Jus altius tollendi vera est servitus, quicquid contradicat Bachov.

X.

Tutor ob latam culpam remotus infamis non est.

XI.

Nulla jurisdictio jure Justiniano criminalis.

XII.

Neque eodem jure praescriptione potest acquiri.

XIII.

Neque Princeps Jurisdictionem habet.

XIV.

Nulla Reip. forma simpliciter optima dici potest.

XV.

Respublicas non saltem propter hominum malitiam esse institutas existimo, sed etiam, si genus humanum instatu innocentiae permansisset, nihilo minus tamen Respublicas futuras fuisse, rationis esse duco.

F I N I S.



I

ULB Halle
006 570 429


3



V017







JURIDICA
ALIS.

1802. 9

10

MIIS.

729
1648

MO-MAXIMO
PRÆSIDE

AUTORITATE
ni, ac Amplissimi
n illustri atq; per-
ratorum

ETROQUE JURE
privilegiis ritè
endis

examini submittit

S STORRE
NSIS-SAXO.

s; horis locoq; solitis.

GEORGI DECKERI,
ogr. An. 1648.